Reuerendis Patribus
Fratribusq Dilectissimis
in Christo
Collegij Romani
Soc.tis Jesu
4
632

Io Henricus Aubery seruus
omnium addictissimus
ex animo D.
D.

IO.

HENRICI AVBERII

BORBONII

E SOCIETATE IESV

Missus Poëticus.



TOLOSAE,

Typis Viduæ I. Colomerij, Typographi Regij, ſub ſigno nominis IESV.

M. DC. XVII.

ILLVSTRISSIMO VIRO

D. D. IO. DE MANIBAN

EQVITI NOBILISSIMO,

SACRI CONSISTORII Consiliario, & in Tolosano Senatu Præsidi integerrimo.

FACTVM QVOD IMPERASTI PRAESES ILLVSTRISSIME. Nam simul ab excelsa Tuæ Auctoritatis arce MAPPAM misisti, signúmque nihil tale cogitanti nec exspectanti sustulisti, haud mora.

> CARCERIBVS *sese effundère* QVADRIGAE
> *Addunt in* SPATIA *& frustrà retinacula tendens*
> *Fertur equis* AVRIGA, *neque audit* CVRRVS *habenas.*

Ita hærentem dubiúmque ac reluctantem animum suo impetu abripuit.

> *Sic cùm grauatam Nauita aduersâ ratem*
> *Propellit vndâ, cedit in vanum labor,*
> *Et victa prono Puppis aufertur vado.*

Quamquam verò, cùm non ita pridem BIGAM emitterem, copiosioris MISSVS, si placuisset, pollicitatione fidem meam obstrinxissem: optassem tamen admodum, vtinam permisisses, PRÆSES HVMANISSIME, otium & liberius & cōmodius MISSVS huius pro facultate mea, pro Dignitate tua, proque omnium, qui me norunt, exspectatione honorificentiùs adornādi. Hærebā fateor, cùm hinc obliquorū fœda impuráq; rubigo dentium, illinc grauissimi iudicij spectantium seueritas me terreret; vt tamen imperiū tuum audiui, vt parui; satis me tutum securúmque ratus, cùm hæc non tam arbitrio meo, quàm imperio tuo mitterentur; Eius, inquam, viri imperio, cuius iudicium, censura cæterorum esset. Magnum certè quidem illud & hoc seculo rarum decus, Themidis Antistitem clarissimum, & Musarum Sacerdotem eximium pariter in te vno spectari. Hæc tua pænè vnius gloria, hoc singulare decoramentum; In iure dicundo æquissimus, In carmine fingendo promptissimus & ad extemporalitatem vsque facillimus. Iam quid ego tibi optimè de me nostrisque omnibus merito PRÆSES MAGNIFICENTISSIME negarem, cui potius gratias agere debeam, quòd solitus sis,

Meas esse aliquid putare nugas:

Atq; ea insuper tantùm præstē, quæ auctoritatis

tuæ iure tibi vendicare poſſis. Hæc igitur, qualiacumq; ſint, habe, quando placent; quando ipſe edi iubes. Habe amplius & auctorē ipſum iamdudum cum toto ſuo Ordine Religioſo imperijs tuis addictiſſimum; qui nunquam tantî famam, id eſt vitam, quam vulgatis iſtis operibus ipsî procuras, quantî beneuolentiam tuam ipſe ſemper ſit æſtimaturus. Viue diu, & Vale. Toloſæ Kalend. April. cIↃ. IↃc. XVII.



Hi BACVLI, *Hæ* LACRYMAE, FALCATAQVE LVNVLA, *Vita*
Quod Via sit misera hæc, spes vbi fixa, notant.

AD INSIGNIA

Eiusdem Nobiliss. Domini

NON *vestræ decora alta domus* MANIBANE, *Leones,*
Non Aquilæ, sed enim signa modesta notant.
Stemmatibus BACVLA *incumbunt geminata, viantes*
Qualia pro votâ Relligione ferunt.
Hæc non ferro altè telluri infixa residunt:
Ast inclinato prona decusse iacent.
Hinc LACRYMÆ *circum* GEMINÆ *effunduntur vtrinque,*
Nec minor his imâ TERTIA *parte fluit.*
Sursum curuatis argentea LVNVLA *fulget*
Cornibus, vt Cœlo Cynthia fixa suo.

ILLE *tuæ fuerat qui primus originis auctor*
Solam hominis Vitam nouerat esse Viam.
Hinc inde hæc rapitur, gemino vestigia firmet
Nì BACVLO: *Illa, Dei sunt Amor, atq; Fides.*
Quòd Spes nulla solo reperitur certa bonorum,
Indicat hoc summo LVNVLA *fixa polo.*

Hæc nunquam plenis totum implet cornibus orbem:
Nam vitæ nullam Spes habet ista fidem.
Quærendas BACVLA *ipsa monent tellure reuulsa,*
Longè istis sedes sedibus esse alias.
Tergeminis BACVLA *hæc* LACRYMIS *rorantur vtrinque:*
Quantis sit Lacrymis obruta vita, vides.
Spes leuat has Lacrymas, consolatúrque iacentes;
Atque olim meliùs Spes fore, semper ait.

FELIX ô MANIBANE, *tot inter commoda vitæ*
Nil nisi qui Vitam noueris esse Viam.
Sicque tot inter opes, tótque inter culmina honorum
Viuis, vt hæc olim præteritura putes.
Aequoreæ sic regna Deæ Cephalanius heros
Spreuit, & his Ithacæ prætulit arua sua.

PRO SALVTE
REGIS VOTVM.

REX MAGNE, ô *magno major*, LODOICE, *Parente,*
Et magnis major Marte futurus auis;
Qui simul æthereas venisti in luminis oras,
Téque suo excepit Regia Iuno sinu;
Nascentis primâ quales sub origine Mundi
Illuxère, Orbi vidimus ire dies.
Qui simul erepto sumpsisti sceptra Parente,
Incubuitque humeris Gallia tota tuis;
Quot Stygijs cumque in te Alecto effudit ab antris,
Vidimus illa tuâ monstra subacta manu.
EXTERNVM *metuẽdo hostem dum nomine terres,*
Et trepidus fixo postibus ense latet.
Dum Martis truculenta jacet sine honore supellex,
Et clypeum & galeam fœda rubigo terit.
Alpe Italum, Scaldis Batauum, Oceanúsque Britannum,
Germanum, Hispanum, Rhenus Ibérque tenent.
Dúmque auidum Occidua Sultanũ comprimit ora

Pelion, Ossa, Othrys, Pindus, Olympus, Athos;
Turcica nec iunctis in totum cornibus orbem
L V N V L A, *Te Francis Rege, coire potest;*
Sola heu! sola sibi, patriæque inimica quieti
Insano turbas Gallia more mouet;
Accipe, quæ tumidis rerum tibi nuncupat vndis
V OTA, *tuæ* A V B E R I V S *mancipium ille domus;*
Ille tuus, totúsque tuus, L O D O I C E, *tuúmque*
Natus ad imperium, factus ad arbitrium.
Ille tuis, quibus & Proaui natalibus ortus,
Mense eôdem quo tu, natus & ipse die.
Nunc, quæ Dextra Dei est, Socijs adscriptus I E S V,
Qui tibi perpetuâ militat O R D O *fide.*
At non ista vouet solus tibi Vota, precantur
Hæc eadem Socij, quæ vouet ille Tibi.
S I C *coniuratis si quando cohortibus Orbis*
Hostica in innocuũ mouerit arma caput; (*stris,*
Aut vbi qui Regna à Zephyris tua cingit & Au-
Tota in Te Nereus æquora fortè vomet;
Aut Rhenus Germanũ aget, Oceanúsq; Britannũ,
Alpe Italum, aut forteis Scaldis aget Batauos.
Aut si etiam sancto tibi fœdere iuncta Pyrene
Emittat ruptis agmina fusca iugis;
Ipse quoque armatũ Achmetes trahat Hellespontũ,
Concurrántque in te Solis vtrinque domus;
Aut si fortè nouis tua rursus Erinnybus acta
Ciuili accendat regna Megæra tuba;

Ille Parens Regum, Regum tutela suorum,
Rex Regum qui dat Regna adimitque DEVS;
Ille tua gemina imposuit qui Vincula fronti,
Et sobolem patrio constituit solio;
Qui SPEM *firmauit Regni, immissóque reuulsit*
Fulmine stringentem Lilia vestra Obicem;
Ille ratas velit esse preces, rata vota precamur,
Et rata perpetuò quæ Tibi sceptra dedit.
Et rata vota velit, sanctis quæ concipis aris,
Dissoluenda datâ, si fauet ille, fide.
Ille suâ, horrescente Polo, Te protegat vmbrâ,
Téque leuet dextrâ, subsiliente solo.
Quacumque ingrediere, viam Tibi sidera monstrent:
Cœlicáque obseruent agmina mille latus.
Propellant annos Superi, Puerúmque repentè
In fortem stupeat Gallia abiisse Virum.
Æquantem iam Te Maiorum & facta Parentis,
Miretúrque Animos ante venire diem.
Miretur iam Te Patrios æquasse triumphos,
Et patris & nomen par, LODOICE, *tuum.*
Magnanimi miretur Consilia alta Parentis
Continuò illa tuæ Facta fuisse manus.
Pestiferos Regni te suffocasse dracones,
Miretúrque suo pulsa venena solo.
Téque intestinos motus sedasse, tuúmque
Æterno vinctum stare adamante STATVM.

Ciuili Marte exſtincto, cæpiſſe ſubactis
Rurſum Halcyonios fluctibus ire dies.
Diſcordes poſuiſſe animos, atque ad tua tamdem
Genua tuos vltrò procubuiſſe Duces.
Iam neque ſemiferos partus, metuendáque matri
Viſceribus ſtupeat monſtra ſalire ſuis.
Exſtinctum Argolicæ portentum immane paludis,
Et ſeptemgeminæ colla reſecta feræ.
Et ſibi Achæmenium naſci miretur amomum,
Meſſem Arabum, Syriæ balſama, Gangis opes.
Iam neque peſtifero afflari tua Lilia ab Auſtro,
Teque illis primum reſtituiſſe decus.
Macte animis, LODOICE, *modò & præſtantibus auſis:*
Nec, quòd ſint gladio ſceptra tuenda, paue.
Quæſiuit gladio Genitor, gladio illa tuenda
Sunt Nato; vt veſtrûm par ſit vtrìque decus.
Regibus illa ſuis niſi magnò ſemper emuntur:
Quâque empta hæc eâdem ſceptra tenentur ope.
Nec tibi quòd Patrio debentur iure, queraris:
Victricíque Patris parta quòd illa manu.
Sunt tua, debentúrque Tibi, nec tollere tentat
Gallia, Borbonium nec fugit illa iugum.
Quod ſcelus eſt Natum aduerſus cõſurgere Regem?
Gallia ſic Regum pignora Marte probat.
Sic vbi diſcluſo exſilijt cùm germine proles,
Fotáque maternus diffidit oua tepor;
Protinus ad rutili flammata Hyperionis ora

Hanc torquet trifidæ fulua ministra facis.
Stare Parens aduersam irreflexísque tuendo
Ignea luminibus lumina ferre iubet.
Sic illa ingeniúmque aciémq; animósque Parentis
Progenie in dubia, Sole probante, probat.
Degenerem, refugóque prementem lumina visu
Excutit, & sobolem dissecat vngue notham.
At quam Phœbæos oculo acri conspicit ignes,
Et clarum altâ acie sustinuisse iubar;
Hanc fouet, hanc magno in Cyclopea tela Tonanti,
Reginámque alias destinat in volucres.
Hæc eadem primis quondam versauit in annis
Auctorem generis sors, LODOICE, *tui.*
Hæc eadem Henricos, Carolósque, Franciscósque
Per varias egit sub noua Regna vices.
Nec teneram incusa ætatem, quódque ardua nõ sint
In validum Puero brachia Martis opus.
Jam neque Regis amore sui, velut antè solebant,
Gallica sed solo Regna timore regi.
Nescit adulari Domino Iuueníque, Seníque
Gallia, cui virtus plus genere ipsa placet.
Ac dum Pictonicos Catalaunæósque per agros
Sæua inter Martis prælia victor ouas.
Hæ tibi primitiæ bellorum, artísque Paternæ,
Prima hæc virtutis sunt elementa tuæ.
Dumque velut Geticâ Mauors furit horridus
Arcto,

In patria tentans prælia ludis humo.
Præludis Libyæ atque Asiæ Europæq; domandæ:
Cui collum dederit Gallia, Terra dabit.
Sic Te pacatis Victorem protinus oris
Hæc colat, inque tuos currat amica sinus;
Nec iam exspectatos remoretur ab orbe triumphos,
Quæque caput circum Laurea cinget ouans.
Prona Elementa tuis famulentur in ordine votis,
Obsequiumque ferant ad tua iussa suum.
Terra tuis tremat imperijs, quásque illa recondit,
Effusas toto ventre recludat opes. (xem,
Quáque per Arctoum Australémque extenditur a-
Sit tua, quâque infert Sol reuocátque diem.
Et tibi cæruleas straturo classibus vndas
Vndarum pandat libera regna Pater.
Exsiliant blandæ vitreis Nereides antris,
Munificáque ferant gemmea dona manu.
Ipse quoque insanos cohibet qui carcere ventos,
Queis cum vult laxat lora, eadémque trahit,
Ad tua præcipites compescat verba procellas;
Adspirent Zephyri, comprimat ora Notus.
Quáque calent terra cœlóque tonanti a strident
Fulmina, flagrantes temperet æthra faces.
Siue Lycaoniam armatus penetraueris Arcton,
Riphæásque terant Gallica signa niues;
Arctica ad AVRATAM *soluantur frigora* FLAMAM,
Atque oris radios sentiat Vrsa tui.

Nam quid ego dubitem? alternis præsagia votis
Hæc tibi Flamma, Aër, Unda, Solúmq; canunt.

IGNIS.

AEOLIIS *qui tanta vides fremere arma sub antris,*
Hæc toto leges Gentibus orbe dabunt.
Miraris Gradiue Pater? Regi illa parantur,
Qui cœlo famam terminet, arma solo.

AER.

MACTE *alto,* LODOICE, *animo, ac præstantibus ausis,*
Personuit gemino iam tua fama Polo.
Ad tua cum summo reuolat diademate signa
Imperium in volucres qui meus Ales habet.

AQVA.

QVOS *ego cæruleo condo sub gurgite Pisces,*
Colludunt vitreis subsiliuntque vadis:
Dum quem Terrarum portendunt fata Monarcham,
Oceanus Regem sperat habere suum.

TERRA.

BORBONIO *surgens ramus de caudice metas*
Famam ingentem vltrà proferet Herculeas.
Hei! mihi quòd tantis virtutum laudibus æqua
Deficient siluas Laurea serta meas.
Hæc Elementa tibi.
Ast vbi Regna vno concluseris omnia Regno,
Totáque deuictus Gallia *Mundus erit:*

Barbaráque ætherei perfundi pectora ſuccis
Iuſſeris, & mergi flumine membra ſacro;
Vt purâ CHRISTVS *pietate coletur vbique;*
Rexque vnus terris, CHRISTVS *& vnus erit;*
Vtque quatergeminis laudum monumenta tuarum
Extuleris victor conſpicienda plagis;
Hinc ſancta ſurget CRVCIS *immortale tropæum,*
Trunca Ducum exuuias quercus & inde feret.
Marmorea in medio ſpectabitur ordine moles,
Hæc vbi ſcripta aureis gemmea lamna notis.

HOC POSVIT CHRISTO ET LODOICO
TERRA, RECEPTI
IMPERII ET CAVSSA RELLIGIONIS, OPVS:

Vt decreta tibi ob ſuperatum Laurea Mundum,
Seruatúmque hominum Querna Corona genus:
Stabit & ante fores LVPARÆ *vtraq;, quas neq; ventus*
Nec pluuia, aut æſtus, nec violabit hiems;
Vt Regum innumerâ felicem prole Parentem
Te conſors thalami fecerit ANNA *tui:*
Et natos natorum, & qui naſcentur ab illis
Videris, & referent ora animóſque Patris:
Et confuſa tuas reſonabunt nomina ad aureis,
Multi atauum, tritauū hic, ille vocabit auum:
Vtque Arganthonios longè ſuperaueris annos,
Et fuerit vitæ cruda ſenecta tuæ;
Pertæſum annorum, & Terrarum pondere feſſum
Vltima te Cælo Regia ſceptra manent.

HEN-

HENR. MAGNI
Parricidium.

TVNE iaces, HENRICE, vno quo
ſtante ſtetit RES.
Quo nunc RES *vno tota iacente iacet,*
T V N E *iaces, HENRICE, Deûm*
genus; atque cruentas
Jn TE *auſa eſt atrox vertere Parca manus?*
Bellonæ auſa inter tantùm inſultare furores;
Non Pace erubuit cæde rubere tua?
Et vidit; refugis nec cœlum exhorruit aſtris!
Non flexit trepidos ſub nece Phœbus equos!
Et tenuère ſuos non territa ſidera curſus!
Non crinem vetitis proluit Arctos aquis!
Et ſtetit, inque cauos non rupta abceſsit hiatus
Terra; nec infernos pandit hiulca lacus!
Et tibi, qui ſonti iactas tua fulmina mundo,
Segnior extincto torpuit igne manus!
Hic tibi prolis amor, Regumque innata tuorum
O Pater, hæc memori pectore cura ſedet?
Quò vis? quò Nemeſis? regnas? diuináne ſemper
Atque humana pari, par Tibi, ſorte regis?
Quale decus! qualis Regnorum gratia! Regi
Si vitæ precio Regia ſceptra licent?

„ Infaustum diadema! infausta potentia sceptri!
„ Hæc quis, si iaceant pondera, tollat humo?
„ Quot radijs distincta micat Regum alta Corona,
„ Tot districta horrent vertice tela suo.
„ Sorsque eadẽ vitæ Regem manet, atq; Tyrannum:
„ Nec Rex, nec siccâ morte Tyrannus obit.
„ Non probitas, non sancta fides, densúsue Satelles,
„ Armáue securâ Regna tuentur ope.
Quæ TIBI caussa necis? quæ tanta iniuria sancti
Principis in ciues, in sobolémque Patris?
Quis melior? quis TE REGVM REX MAXIME, toto
Iustior, aut armis clarior orbe fuit?
Et metuẽdus eras, HENRICE, & amabilis vnà;
Mixtus & in vultu Terror, Amórque fuit.
Et metuendus eras, medios cum effusus in hostes
Agmina fœlici perfida Marte metis.
Instructásque acies fundis, latéque rubentes
Hostili victor sanguine mergis agros.
Horrebat, nomen trepidus simul auribus hostis
Hauserat; hærebant corda soluta metu.
Viderat armatũ (TANTI EST PRÆSENTIA REGIS)
Innumero ille ferox milite terga dabat.
Quis tulit aduersum, inuito dum Marte rebelles
Appetis, & Regnum IVSTA PER ARMA petis?
Obstupuêre ARQVAE, & valida benefida DIEPPAE
Mœnia: quanta suis agmina sternis agris.
Et profugâ extremos meditantem classe Britannos

Quem putat, & Francis iam soluisse plagis.
Ocyus instantem tergo sibi conspicit hostis,
Et profugum, versâ sorte, repentè fugit.
Intereà abruptis quatis innumera oppida muris:
Hæc VI, *hæc* CLAM, *hæc facili* DEDITIONE *capis.*
Debellata MANVM *inuictam: Intercepta benignum*
INGENIVM, *adgnorunt dedita sponte* FIDEM.
YVRIACIS *quis non stupuit tot atrocia campis*
Funera cæsorum dum tua dextra daret?
Et stupuit patriis BVRGVNDIO *victus in oris*
BELGICAQVE HESPERIIS *cornua iuncta globis.*
Qualis sanguineo ignitus per inane Cometes
Crine micat, trepidat terra, salúmq; fremit:
Turbata insolitis videas freta feruere ventis,
Et scopulis actas mille perire rates.
Alta imis videas tremere oppida fundamentis;
Pronáque conuersis frontibus ire iuga.
Hinc ruere attritas lapidosâ grandine fruges;
Hinc populos, multâ hinc strage iacere greges.
Talis eras, densos cùm TV *irrupturus in hostes*
Mille neces TECVM, *funera mille trahis.*
Sed gemis, interitúsq; inter, cumulósque cadentum,
PARCITE, *conclamas,* PARCITE FRANCIGENIS.
Ardebas & cæde hostis; sed Ciuis amore
Iustiùs; hunc seruas, cæditur ille TIBI.
Quis furor, ô FRANCI*? quem cõtra insistitis armis?*
BORBONIAS *repetunt Gallica sceptra* MANVS.

BORBONIA *stat* IVS *pro* GENTE; *nec irrita* REGNI
SPES erit, antiquis indita stemmatibus.
En lætum ætheriâ augurium dat IVPITER *arce,*
Dum ferit hic arces fulmine BORBONIAS.
Soluit & intactis transuersa REPAGVLA LILIS:
HENRICO ad Regnũ fulmine facta via est.
Et Regem contra statis; cui militat æther,
Diuina humanis iuráque iuncta fauent!
Sed terras, cœlúmque, imúmque Acheronta mouete;
Macte, HENRICE; mora est tantula; victor eris.
Debita sceptra petis: renuit dare GALLIA; *sed* DI;
Sed IVS; *sed* VIRTVS *reddidit illa* TIBI.
Vicisti, ereptúmque TIBI *Regnum eripis hosti,*
Suscipis & ciuem qui priùs hostis erat.
Vicisti, cessítque suas VICTORIA *lauros*
Vna TIBI, *vinctas victa dedítque manus.*
Vicisti inuictam, victis dum sponte remittis,
Quæ IVSTO *fuerant* MARTE *recepta* TIBI.
Vicisti, HENRICE, HENRICVM: nec debuit alter
Vincere; cui vinci, vincere summa fuit.
Vicisti, victúsque TVA PIETATE *Rebellem,*
Fidúmque æquè æquo subditum amore foues.
Discordes vtriusque animos sic iungis, vt hostem
Antè sibi ciuis nemo fuisse putet.
TV *nullo Ciuis maculasti sanguine Regnum,*

Erroris pœnas qui TIBI *iure daret.*
Occidit armatus, si quis per TE *occidit vllus.*
Et ciuis grauior mors TIBI *morte fuit.*
Mirata est male-sana suis quæ verterat armis
Restaurata tuâ GALLIA *Regna manu;*
Iustitia vt populis, Pietas sua reddita Diuis.
Templa ornas, vrbes instruis, arma fugas.
Mirata est nullam, quum tantis concidit icta
Vulneribus, REGNO *vulneris esse notam.*
Quódque suis nunc sit PER TE *altior ipsa ruinis,*
Nec cecidisse piget, nec periisse dolet.
Ac velut insanis postquam maria alta procellis
Intumuêre, rates æquior vnda fouet.
Sic intestini diuturna incendia belli
Restinxit Pacis gratia multa tuæ.
Non citiùs pelagi Rector tumida æquora placat,
Æolióśque fugat cæca sub antra Notos:
Vt sine nube dies Francis illuxit; atroces
Ciuicáque vt posuit molliter vnda minas.
Ut visus posuisse orbis, visique remotis
IVS DEXTERÆ *Reges expetiisse plagis.*
Angusto expauit diducta Britannia nobis
Aequore: Pyrenes contremuêre iuga.
Ausoniæ tremuêre Alpes; flauescere visa
In Mediolano LILIA FRANCA *solo.*
Dedita succubuit prono ore Sabaudia, & altus
Mommelianææ procidit Arcis apex.

Cuique OPPORTVNE *Rem nostro auxisse tumultu,*
Signatum patrio vanum erat ære decus.
Rapta dolo huic iustis rapis OPPORTVNIVS *armis;*
SEMIVIROQVE *Tuus prestitit* ENSIS EQVO.
Jn partem imperij precibus TE ACMETYS *agebat,*
Ne toto metuens imperio ipse cadat.
Auxilijs redimenda tuis lacrymabilis, HELLAS,
Plectebat capiti laurea serta tuo. *(nis,*
Alma Cypris Cypro, TIBIQVE *obuia Pallas Athe-*
Prodibat Delo Delia, Juno Samo.
Heic rediuiuæ aderant Phœbo cum principe Musæ,
Pectine quæ versus liberiore darent.
Jam Mahumetanis Solyme horrida brachia vinclis.
Fractáque freta tuâ colla leuabat ope.
Iamque triumphales PRO LIBERTATE RECEPTA,
Aptabat palmas diues Iduma suas.
QVAM *Bello metuendus eras, tàm Pace verendus;*
Fœlix prole, potens milite, diues opum.
Hos LAVRVS *Reges, hos* QVERCVS, PALLADIS *illos*
ARBOR: TE LAVRVS, QVERCVS, OLIVA *decent.*
Victorem LAVRVS, *Clementem* QVERCVS *obũbrat;*
Paciferum æternæ frondis OLIVA *beat.*
Non ita tota TITI *Roma ardescebat amore,*
Non ita dilectus Persidi CYRVS *erat.*
GALLIA *quàm validos* DE TE *conceperat ignes,*
Colliquefacta tuâ GALLIA *tota face.*
TEQVE *licet caperet populosa* LVTETIA; *bellæ*

Seu SANGERMANI, CALLIRHOESVE *domus.*
Proxima Pyrenæ vidit TE GALLIA*: vidit*
Proxima littoribus GALLIA, *Rhene, tuis.*
Vidit & Alpinis contermina montibus: & quam
Glauca Caledonij verberat vnda maris.
Quæ TIBI *non æterna vrbes monumenta sacrarunt?*
Quæ non aula tuis fulsit imaginibus?
Quilibet & gratâ repetens Tua munera mente,
Plus, quàm Regem Orbi credidit esse datum.
Siquid ais, tot sunt diuinæ ORACVLA *linguæ;*
Quæ Lacedæmonio promptiùs ore rotas.
Si quid agis, tot sunt validæ MIRACVLA *dextræ;*
Regia sunt animi tot monumenta Tui.
Nec satis Oceanũ, Rhenúmq;, Alpésque, Pyrenénq;,
HENRICE, arbitrio viuere velle Tuo: (BIS:
ARBITER AVSONIAE *es, quin veriùs* ARBITER ORSI
CAPVT ORBIS *idẽ est, quod* CAPVT AVSONIÆ.
Tu Pater Aonidum, decus Aoniæque palæstræ,
Argumentum ingens cui Tua facta dabant.
Mæonio ille Tuas celebrabat carmine Lauros,
Partáque victrici mille tropæa manu.
Hic longæ placidas memorabat Pacis Oliuas,
Otiaque & Regni secla beata Tui.
DESINITE, *ô vates, & verso immania* MAGNI
Mecum omnes REGIS *funera flete modo.*
Flete, & funereâ circumdate mæsta Cupresso
Tempora; nil Laurus, nil modò Oliua iuuant.

Flebilius (Ceo carmem deducite questu.
Lugubris aptetur tristi Elegia lyra.
OCCIDIT *HENRICVS.........*

.... (omnis
OCCIDIS, *HENRICE, & Tecum simul occidit*
GALLIA,*vix aliâ restituenda manu.*
OCCIDIS, *& nostro Tua lumina subtrahis orbi,*
Vnde salus illi, spiritus vnde fuit.
OCCIDIS, *& resoluta labant membra omnia Mũdi;*
Vt perit HIC NERVVS *qui* BONVS ORBIS *erat.*
OCCIDIS:*at non Arsacidæ mucronéue Iberi,*
Non nudum aduerso fossus ab hoste latus:
Non Ducis arma inter fuit hac,aut Militis ingens
Gloria: Monstrum in TE GALLIA *tale tulit:*
Monstrorum fœcunda parens nunc GALLIA, *Reges*
(Heu! fatum infelix,)tollere docta suos.
GALLIA *nata suos inter Regna omnia Reges*
Sic colere,vt patrios Gnosia terra Ioues.
O! REX. *ô! nimium fidei confise tuorum;*
O! malè tuta fides.ô! malè fidus amor.
O! *Populi ingratæ mentes. ô perfida vitæ*
Gratia : ô : infaustâ sorte redempta salus.
O! *Pacis damnosa quies, Pax ciuibus vna*
Aequa malis:non sic Regibus æqua bonis!
Damnoso longè Pax damnosissima Bello,
Seruatus Bello Rex vbi Pace cadit.
Seruasti,quorum scelerata fraude perires;

Et

Et vitæ vita est gratia, rapta datæ.
Mille per insidias Martisque pericula raptus
Heu! Pax, heu! vitæ est insidiata Tuæ.
Regnabas, placidúmque metus dum cõprimit hostem,
Diro IN TE, *heu! Ciuis dirior Hoste furit.*
Te ferit, atq; animam gemino impius extrahit ictu:
Nec viso riguit Numine dextra Tuo.
Cynthie conde diem, currúsque auerte iugales,
Néue scelus pateat, Cynthie conde diem.
O! scelus. ô! Francis nimiùm contraria Regnis
Numina. ô! HENRICIS GALLIA *iniqua Tuis.*
Sacrilege, immanis, Patricida, inceste, nefande,
Quò tibi mens? REX EST: *impie siste manum.*
Impie, cùm primas haurires luminis auras,
Suffocande vtero, suffodiende solo.
Téne sceleste, DECVS REGVM, PATRIÆQVE PARENTEM
Tollere? te tantum, téne patrare scelus?
Quale scelus! REGEM *tollis;* PATREM *impie tollis;*
Et SOLEM *toto tollis ab orbe suum.*
Ah! monstrum. ah! nullis non excruciande Procusta
Supplicijs; nulla non Scytha digne cruce.
Tollite, Carnifices, quotquot vis cruda Tyrannûm
Tormenta in miseros est fabricata reos.
Non Siculus, non Threïcius, Phariúsue Tyrannus,
Non satis in pœnas ingeniosus erit.
Tollite, quæ veteri patricidas lege piarunt

Supplicia; insolito pœna nouanda modo est.
Insuite exsecta corio Bouis, & socia ollì
Simia sit, prægnans cúmque Dracone Canis.
Vindicibus sceleratum vndis immergite; non hæc,
Non tamen hæc sceleri pœna erit æqua suo.
Ferte faces; lentis monstro latera vrite flammis:
Nec satis est, duro tundite fuste caput.
Extrahite abductis linguam de faucibus; ora
Frangite; pascatur carnibus ipse suis.
Effodite incestos oculos, mistúsque sepultis
Viuísque exemptus non sit, & esse putet.
Nec satis est; raptâ nudentur viscera pelle;
Pars pœnâ toto corpore nulla vacet.
Te patricidalis, te sacri conscia lethi
Dextera, inextincto flamma vapore voret.
Nec satis est; rapidis lacerandum aptate quadrigis,
Raptáque diuersis membra trahantur equis.
Nec morere; in pœnas longis animam extrahe seclis;
Mitia ne rapto sint tibi fata die.
Sed morere, inuisúmque absumat flamma cadauer;
Relliquias cineris dissipet aura tui.
Tartareo infelix rapiatur spiritus Orco,
Æterna æternis esca futura rogis.
Heic vbi quidquid atrox, dirum, intolerabile sontes
Excruciat Manes, vna tua vmbra ferat.
Distrahite infandum Stygiæ sine more sorores,
Horrida vipereis stringite colla comis.

Si quod Sisyphio grauius sit pondere saxum;
Si qua Ixionio sæuior orbe rota;
Si quid & Harpyijs, tumidáque voracius Hydrâ,
Tergemináque potest dirius esse Cane;
Si qua iecur Tityi rodente rapacior ales
Vulture; Auernali si qua colubra lacu.
Addite Danaidúmque vrnas, mensásque fugaces
Delusi vacuo gutture sæpe senis.
In monstrum hoc vmbrarum omnes transcribite pœnas;
Illius in vestras sit satis vmbra manus.
HOC AGITE, *& cæsi vindictam exposcite* REGIS:
Huic decet vltrices soluere iusta Deas.
Sed, quid te infernis, meritum licet, impie flammis
Deuoueo, inque caput totum Acheronta voco?
Parce tamen, quisquis scelerato infanda canentem,
Horrendásque æquâ non capis aure preces.
Relligio est, fateor, sonti tam dira precari.
Sed mihi Relligio quod vetat, ira iubet.
Ira iubet, dolor ipse adigit, furor incitat, vrges
HENRICE, atque tuus, GALLIA, *cogit amor.*
Intempesta tamen cede ira, dolórque, furórque
Cede; tuus pariter, GALLIA, *cedat amor.*
HENRICI prohibent immania carmina Manes.
PARCE REO, *campis clamat ab Elysijs.*
Ignouit toties qui percussoribus olim;
Damnari æternis ignibus ipse vetat.
Sit satis, ignitâ premere omnia forcipe membra.

Sit ſatis, & diram præſecuiſſe manum.
Sat nudos liquefacto humeros perfundere plumbo.
Satque quatergeminis ſoluere corpus equis.
Sat quoque ſit laceros rapidis tradi ignibus artus,
Ferali cinerem nec ſupereſſe rogo.
Aut ſi quis ſupereſt, tenueis vaneſcat in auras:
Aut hunc vindicibus Sequana perdat aquis.
Tu modò, Tu ſcelerum vindex, Tu digna repende,
Sic quoque caſſa iube vota mea eſſe DEVS.
AETERNVM *intereà nobis* REGVM OPTIME SALVE.
AETERNVM REGVM MAXIME AVE, ATQVE VALE.

Si TIBI *noſter amor Regnanti cognitus olim;*
Cognita ſi pietas noſtra, fidéſque fuit.
ACCIPE, *ſupremos tua quos* TIBI GALLIA *honores*
Supremo ipſa ſuo funere mœſta facit.
ACCIPE *inexhauſto rorantia lumina fletu.*
ACCIPE *ſanguineas vngue ſecante genas.*
ACCIPE *continuos gemebundo pectore planctus.*
ACCIPE *diruptas in tua buſta comas.*
ACCIPE, *quæ duro terimus diſſecta dolore*
Pectora, vbi ARA *tui ſemper* AMORIS *erit.*
Semper inextinctis flagratura ignibus ARA,
Quos tuus in noſtro corde fouebit amor.
Nec querere affuſos tumulo nos flere BEATVM;
Non tua nos, ſed enim nos mala noſtra premunt.
Credimus æthereâ TE *cœli in parte locatum,*

Cælicolúmque inter iure ſedere choros.

TE *raptum querimur*, PATREM *ſibi* PATRIA; REGEM
REGNVM; ASSERTOREM GALLICA SCEPTRA SVVM.
Et gemimus; croceóque gementes Lucifer ortu,
Heſperus occaſu conſpiciétque ſuo.
At tu Phœbe citis cæli ſpatia alta pererrans
Curſibus, horrendæ conſcie Phœbe necis,
Dic, quà flammiferos Indo extrahis æquore currus;
Dic, quà Atlantæo gurgite mergis equos;
Dic, quà Maurufij medio torrentur ab axe;
Dic, quà Pharrhaſio cardine terra riget;
OCCIDIT *HENRICVS* REGVM DECVS, VNA FVTVRI
LVX MIRANDA AEVI, PRAETERITI VNVS HONOR.
GALLORVM ILLE SIMVL VICTOR, VINDEXQVE, PA-
RENSQVE
OCCIDIT. HEV! PROHIBET PLVRA REFERRE DOLOR.
OCCIDIT. AT CVIVS SCELERE OCCIDIT? OBMVTESCE
PHOEBE. NEC HVNC GALLI DIC CECIDISSE MANV.

IVDÆA CAPTIVA

ACTA Palæstinis exul cũ cederet oris
Gens Abramæa suos vertere iussa lares:
Jámque animo disiecta solo Solymæa recurrunt,
Mœnia, & Augustæ diruta tecta domus:
Jlla domus, magni qua Te, Moderator Olympi,
Hospite, dum staret, nobilitata fuit:
Nunc cinis, exustísque incumbens tota ruinis.
Cui cineris superest vix leuis vmbra sui.
O! quanto Isacidùm grauida intumuère dolore
Pectora? quis sensus? quis stupor ille fuit?
Quis gemitus? quoquò adspiceres, miserãda sonabãt
Lamenta; atque noui funeris horror erat.
Horrescit laceris passim via sparsa capillis;
Et mixto lacrymis sanguine terra madet.
Heic Pater æratis vinctus post terga catenis
Trudi eâdem Natos sub iuga sorte gemit.
Ingemit, & teneram Mater super anxia Natam:
Hanc pudor, hanc ætas, hosticáque ira premit.
Ægra trahit Natã Mater, Matrémq; labantem
Nata ægrè fractis viribus ægra regit.

Hos sitis exanimat, rabies hos torquet edendi;
Et sicco exspirat matris in ore puer.
Huic mortem accelerat dolor, illum transfodit ensis;
Et putridis squallet semita corporibus.
Non tumuli vllus honos, nec Patrem cōdere Nato,
Nec Natum Patri vincula dura sinunt.
Quámque oculos manibus moribundæ Nata Parēti
Clauserit, ante suæ fata Parentis, obit.
EFFVGIT intereà Solyme, Nabathæa recedunt
Regna, & arenosis æquora adusta plagis.
Jámque propinquabant defessi hostilibus aruis,
Et misera addictos turba premebat agros.
Obuius heic placidis Euphrates labitur vndis;
Jnque tua, ô Babylon, mœnia voluit aquas.
Tum quæ sidereas celsis premit arcibus arceis,
Visa Semiramiâ Regia structa manu.
O! quis tum dolor, Euphratis simul æquora cernit?
Hæc noua, Iordanis flumina nota putat.
O! quis tum dolor, Assyriæ simul aureus Vrbis
Fulsit apex? Solymes aurea Templa putat.
Constitit, Euphratísq; iacens vaga littora circum
Excidit; exanimi vóxque colórque fugit.
Effugit ex oculis somnus, vigilátque dolori;
Inque dolore quies, inque quiete dolor.
Pars oculos, vinctas pars tendit ad æthera palmas;
Pars crinem lacerat; pars sine mente sedet.
INFELIX Solymes simulacrū, atq; vmbra Sionis

IVDÆA CAPTIVA

ACTA Palæstinis exul cũ cederet oris
Gens Abramæa suos vertere iussa lares:
Iámque animo disiecta solo Solymæa recurrunt,
Mœnia, & Augustæ diruta tecta domus:
Illa domus, magni quæ Te, Moderator Olympi,
Hospite, dum staret, nobilitata fuit:
Nunc cinis, exustísque incumbens tota ruinis.
Cui cineris superest vix leuis vmbra sui.
O! quanto Isacidûm grauida intumuère dolore
Pectora? quis sensus? quis stupor ille fuit?
Quis gemitus? quoquò adspiceres, miserãda sonabãt
Lamenta; atque noui funeris horror erat.
Horrescit laceris passim via sparsa capillis;
Et mixto lacrymis sanguine terra madet.
Heic Pater æratis vinctus post terga catenis
Trudi eádem Natos sub iuga sorte gemit.
Ingemit, & teneram Mater super anxia Natam:
Hanc pudor, hanc ætas, hosticáque ira premit.
Ægra trahit Natã Mater, Matrémq; labantem
Nata ægrè fractis viribus ægra regit.

Hos sitis exanimat, rabies hos torquet edendi;
Et sicco exspirat matris in ore puer.
Huic mortem accelerat dolor, illum transfodit ensis;
Et putridis squallet semita corporibus.
Non tumuli vllus honos, nec Patrem cōdere Nato,
Nec Natum Patri vincula dura sinunt.
Quámque oculos manibus moribundæ Nata Parēti
Clauserit, ante suæ fata Parentis, obit.
EFFVGIT intereà Solyme, Nabathæa recedunt
Regna, & arenosis æquora adusta plagis.
Jámque propinquabant defessi hostilibus aruis,
Et misera addictos turba premebat agros.
Obuius heic placidis Euphrates labitur vndis;
Jnque tua, ô Babylon, mœnia voluit aquas.
Tum quæ sidereas celsis premit arcibus arceis,
Visa Semiramiâ Regia structa manu.
O! quis tum dolor, Euphratis simul æquora cernit?
Hæc noua, Iordanis flumina nota putat.
O! quis tum dolor, Assyriæ simul aureus Vrbis
Fulsit apex? Solymes aurea Templa putat.
Constitit, Euphratísq; iacens vaga littora circum
Excidit; exanimi vóxque colórque fugit.
Effugit ex oculis somnus, vigilátque dolori;
Inque dolore quies, inque quiete dolor.
Pars oculos, vinctas pars tendit ad æthera palmas;
Pars crinem lacerat; pars sine mente sedet.
INFELIX Solymes simulacrū, atq; vmbra Sionis

Heic ſubit, & circa lumina feſſa volat.
Qualis erat! qualis ſua dum loca congerit hoſtis,
Incendit, vaſtat; ſtragibus, igne, manu.
Horrebant laceri crines, ſquallebat amictus;
Liuebant tumidis ora cruenta notis:
Luminibus lacrymæ erumpunt, violentiùs auctis
Nimborum pluuio turbine fluminibus.
Anxia anhelanti ſuſpiria pectore vibrat,
Et duræ plangunt pectora nuda manus.
Hinc atque hinc tellus ingenti cæde ſuorum
Tincta rubet, luctus perſonat, arma fremunt.
Infremit Iſacides ſubitóque exterritus hæret;
Horret, & in pauido deficit ore ſonus.
Pendentes humeris citharas, facundáque ſoluit
Barbita, vix fractæ hæc ſuſtinuêre manus.
Adſpicit heic glaucâ pallentia fronde ſalicta.
Hei! mihi, non palmas, Iſacis ora, tuas.
Nic mutum ſuſpendit ebur, Zephyróque tumentes
Ingemere audires carmina mœſta lyras.
Vt querulum reſonans, quos comprimit anxius alto
Corde dolor, querulos ſuppleat aura ſonos.
Ille dolore amens, plectrúmque chelynque reuellit;
Hic ſaxo adlidit; proijcit ille ſolo.
Ite, ait, ô priſcæ procul inſtrumenta valete
Lætitiæ, ad triſtes non ſatis apta modos.
Fundere iam lacrymas iuuat, & lamenta ciere.
Verbera, non dextras muſica plectra iuuant.

Argutæ

Argutæ frustrà ostentant solatia chordæ,
Non istâ tantus tollitur arte dolor.
Ad planctus furibunda manus vacet, ardua rauci
Clamores pulsent astra, solúmque tremat.
Responsent syluæ gemitúque gementia reddant
Littora, & horrendis saxa animata modis.
Tu totos Solymæ gemitus, non summa remitte
Verba cauis habitans, Garrula Nympha, locis.
Quando negat gladius noua pectore vulnera, ruptæ
Vngue cicatrices sanguineo amne fluant.
Sanguine Terra fluat nostro, nostríque tumescens
Euphrates lacrymis Assyria arua tegat.
Prô dolor! Assyrius medijs tamen impius instat,
Subridénsque malis sumere plectra iubet.
Eia, agite, exclamat, placidam dum grata quietem
Hæc fessis longa commodat vmbra via;
Languenteis recreate animos; compescite questus;
Et date festiua carmina læta manu.
Carmina quæ festo solita est dare tempore quondam
Isacis Isacio turba sacrata Deo.
Dum sacra solemni fremerent modulamine templa,
Acceptúmque Sion redderet icta melos.
O! SCELVS, *in medio deposcere carmina luctu*
Et lepidæ lacrymis iungere fila lyræ.
Dúmque pluunt oculi lacrymas, clamoribus æthra
Personat, & planctu pectora nostra tonant,
Jessæas pulsare fides, & dicere versus,

Et patrio in numerum more agitare choros.
Vſque adeò Aſſyriјs ſanctos regionibus hymnos
Ad tua quos dedimus ſacra, ſonare. DEVS?
O! Solyme: ô! noſtris nimiùm altè infixa medullis
Alma Sion, caris carior ipſa oculis.
Carior his oculis, qui nunc tibi flumina fundunt;
His nunquã heu! nũquam Terra videnda oculis.
Sed tua quàm noſtras capiant obliuia menteis;
Quàm non Abramides ſit memor vſque tui;
Quàm tua non ſedeat noſtris noctéſque diéſque
Senſibus, & medijs perſtet imago malis;
Hæc prius ad patrios torpeſcat inutilis hymnos,
Dediſcátque ſuas tangere dextra fides;
Si non lætitiæ ſpecies mihi prima prioris,
Si non æterni cauſſa doloris eris.
In medio pereat vox intercluſa palato,
Nec reſoluta vllos lingua det ore ſonos;
Si tua, quamquam hoſtes tentent extrema, profanis
Decantata ſonent Carmina ſacra locis.
At tua, nì toto, ſcelerum iuſtiſſime vindex,
Iuſtitia exceſſit pectore pulſa tuo;
Sis memor, ô Solymæ, DEVS, *inſultantis Idumes,*
Aſſyria in noſtras dum furit ira domos.
Heu! nimiùm in noſtras immanis Iduma ruinas,
Heu! nimiùm Hebræis proxima Iduma plagis.
Ecce cruentatis in nos fremit impius armis
Aſſur, & Abramio cuncta cruore replet.

Luctus vbique, horror, clades, gemitúsque cadentum
Sanguineásque tegunt corpora cæsa vias:
Diripitur Solyme. Solymæáque gaza, rapaceis
Non prohibet spolijs feruida flamma manus.
Læta superiectis volitant incendia tædis.
Et labefacta suo pondere tecta ruunt:
Egregium Salomonis opus, totóque stupenda
Orbe domus, rupto culmine, lapsa iacet.
Exundante latet fumo Phaëthontius axis;
Squallet, & in medio lux perit ipsa die.
Attonitus stupet ipse hostis, Solymæáque vinci
Mœnia, cùm spectat, non potuisse putat.
Inter & ardenteis tectorum vrbísque fauillas,
Mœsta superfusis fletibus ora rigat.
QVID non solatas turbatis funditus arceis
Cessantésque negant vltima busta manus?
Ecquid adhuc superant muri ornamenta ruentis,
Clamat Idumæus, semirutíque lares?
Vertite, diruite, in cineres date cuncta, nihilque
Sit Solymæ, præter nomen inane, solum.
Non superimpositus lapidi lapis incubet; ipsâ
Quâ stetit, hâc Solyme contumuletur humo.
In Solyma Solymam frustrà, peregrine, requiras.
In Solyma Solymam nec reperire queas.
O! BABYLON, ô! quæ nostris tumefacta triumphas
*Cladibus: ô! nimiùm sortis * ignara tuæ.*

Nec modò, dum blandâ frueris Rhamnusidos aura
Qua nunc sæua tumes, sorte perire times?
Nunc versam in cinerem, Babylon, Solymam adspicis; hæc te
In cinerem adspiciet de cinere orta suo.
FELIX, pro tantis olim qui digna rependat
Æqua lance tibi funera funeribus.
Nec modò stet, sed enim meritorum gratia crescat,
Grande sit hanc illì diminuisse, nefas,
Pœnam pœna vltrà, superétque ruina ruinam.
Sit leuis in cineres pœna fuisse datam.
FELIX, mœstarum gremijs qui rapta parentum
Pignora, sanguineis rupibus acta dabit.
Qui tenero Infantum squallentia saxa cerebro
Sparget, & Assyrios strage replebit agros.
Membráque diuellet membris; diuulsáque latè
Disijciet varijs frusta cruenta locis.
Ac velut Isacio Iordanes sanguine creuit;
Assyrio Euphrates sanguine maior eat.

INFANTICIDIVM.

VNDE repentinis feriuntur plancti-
bus aures,
Flebilibúsque gemẽs perſonat æthra
modis?
Horreſco, & tremulos ſudor mihi frigidus artus
Perluit, oſſa graui concutiente metu.
Non ſecus ac Zephyro tenues agitantur ariſtæ,
Summáque anhelanti ſtringitur vnda Noto.
Cor trepidat, totóque areſcit corpore ſanguis;
Stat coma, genua labant, lingua ſtupore riget.
Flaua Paphlagonio non ſic buxeta Cytoro;
Non ſic æſtiuis ſolibus vſta Ceres;
Non ſic arboribus detonſæ turbine frondes;
Non ſic in ſanctis aurea ſigna locis;
Non ſic Trinacriâ palleſcunt mella ſub Hybla;
Quàm ſedet in noſtro pallidus ore color:
Fronte color, membriſq́; calor perit: anxius heic ſto,
Quis locus inſolitis luctibus eſſe poteſt?
Quis modò Idumææ peruerteret otia gentis,
Quæ toto Aeneadûm fecit in orbe Parens?
Aut quis Sarmaticis Martem reuocaret ab oris?

Vnde hostis? Ciues ciuicáne arma mouent?
Romuleas audirem iterùm sæuire cohortes,
Ultimáque Isacijs damna parare plagis?
At tantùm Ausonius quibus arma coërceat, arma
Miles habet, cuíque hæc inferat, hostis abest.
Omnia Romanis parent, Romanus Hebræo
Jungitur; hic nec quem vincere possit, habet.
Pax viget immenso, tua, CÆSAR, *gratia, mundo,*
Turpis & in tenebris occupat arma situs.
Arma tamen resonant, armorúmq; intonat horror.
Quis furit? an nullam Pax habitura fidem est?
Lamentabilibus mugit clamoribus æther,
Turbatúrque nouo publica more quies.
Fallerer? Infantum gemitus, Matrúmq; vlulatus
Audio, & in medijs perstrepere arma vijs?

DIALOGISMVS MILITVM MATRVM
ET POETAE.

MIL. *Aufugiunt.* POE. *Quæ vox?* MIL. *teneo.* PO. *heu!* MIL. *da pignora, Mater.*
PO. *Ad gladiũ Infantes!* MA. *Carnifici illa darẽ?*
PO. *Quid tantũ Infantes meruère? an culpa Parẽtũ* *(est?*
Nam solet ob Patrem filius esse nocens.
MIL. *Occidat, imperiũ est.* PO. *quis nõ putet esse furo-*
MIL. *Turba ipso pereat, quò fuit orta die.* *(rem?*
PO. *Vix dum vitaleis missos in luminis oras*
Exstingui! primâ siccine luce mori?
MIL. *Da mater Natum, aut iugulo ferrum accipe.*
PO. *vox hæc*

Militis. MA. *hoc Matris gutture conde priùs.*
PO. *Hæc Matris.* MI. *Mater morere.* ME. *Infans dummodò viuat;*
Et Nati, Matris cæde sit empta salus. (*Mater*
MA. *Ah! Nate, heu! moreris: morior quoque; nec tua*
Lumina, nec Matris claudere, Nate, potes.
Ah! morior: nec ego doleo, quòd conditus hæret
Mucro meo, sed quòd pectore, Nate, tuo.
MIL. *Dic tu, Natus vbi est?* MA. *mansi infœcunda,*
Me sobole, heu! fœlix Ilithyia beat. (*nec vlla*
MIL. *Non prodes natū? sed enim audio, vagijt infās*
Et se vagitu prodidit ipse suo.
MA. *Nate tace, gemitúmq; tene, vbera suge, timere*
Qui nondum didicit, ora tenere nequit. (*heu!*
MI. *Scrutabor latebras, vertam omnia, funditus*
Excutiam; tellus hunc licet alta tegat. (*ædes*
Ac licet infernas Erebi penetrauerit vmbras,
Amplexu auellam, Persephone atra, tuo.
POE. *O! furor. ô! rabies. ô! inexsaturata cruoris*
Flamma; sed ancipiti spéque metúq; trahor.
Quid moror? ambiguo quid aguntur longiùs æstu
Pectora? quæ dubia est, hæc magè cura coquit.
Ibo, ibo, & tacitis subducam lumina tectis;
Cernere luminibus, quæ capit auris, erit.
Hei! mihi, quæ rerum facies? qui sanguinis amnes?
Quæ strages? miseræ quæ simulacra necis?
O scelus. hoc superi àdspicitis? largóne fluentes

Sic iuuat Infantum rore videre vias?
Quid cœlo resides Diuũ Pater atque hominũ Rex?
Quid vacua igniuomo fulmine dextra vacat?
Phœbe, micas solitoque caput præcingeris auro?
Nec verso Eoas respicis axe domos?
Quin si te pietas, si tangit hic horror, Ibero
Mergere præcipites æquore pergis equos?
Phœbe Thyesteæ memini impia fercula mensæ
Fugisti exstincta, qua face terra nitet.
Tu tamen inceptum constans decurris Olympum,
Igniferasque agitas lentus in axe rotas.
Dum reboat cœlum gemitu, Infantumque recenti
Cernis Idumæas strage tepere plagas
Non cœlum obtenebrant nubes, turbatáque rursùm
Non mundo inducunt cæcum Elementa chaos?
Sanguinolenta oculis spectacula fortè placerent?
Vis tantum, video, prodere Phœbe, scelus.
Sed neque cedrifero Libani qui vertice manas,
Lentáque qui gemino flumina fonte trahis;
Vt tua, Iordanes, puerorum cæde tepescunt
Stagna, retrò properas, nec gelat horror aquas?
Tu quoque, quæ incestam Sodomã, incestámque Gomorrham
Absorpsisti olim fluctibus vnda tuis,
Vt quas in cineres lapsa æthere flamma dedisset,
Vindicibus cineres obruerentur aquis.
Eia age, quid torpent fluctus, vbi sanguine puræ
Innocuo

Innocuo Infantum contemerantur aquæ?
Spumosos attolle lacus, sparge alta tumenti
Astra, vado Isacios æquor inundet agros.
Portentis, quotcumque imo sub gurgite condis,
Sanguinea hæc prædam monstra futura rape.
Hoc homines patrasse scelus! quis talia credat
Nata Palæstinis monstra fuisse plagis?
Quid tantum, ô superi, meruère innoxia turba,
Cuius sic placuit cæde rubere solum?
Quis Leo, quæ Tigris, vel si quæ immanior errat
Bellua in Hircanis Armenijsq; iugis;
Aut portentosis Libyæ feruentis arenis
Ausa infantiles dilaniare sinus?
Ecce cruentato fœdantur saxa cerebro,
Mutatisq; rubet sanguine flumen aquis.
Heic caput vnius roseâ ab ceruice resectum
Voluitur; heic mediâ corpus inane viâ.
Hinc diuulsi artus, abscissáq; brachia squalent;
Illinc diuersis frusta relicta locis.
Sic quondam Euxinis iacuit laceratus in agris
Ægialeus manibus barbara Colchi tuis.
Sic & Amazonia prognatum matre furentes
Per scopulos raptum dissecuère rotæ.
Sic patrio Oebalides violatus tempora disco
Thessalicam pressit sanguinolentus humum
Infantum membra horrescunt tetigisse Leones,
Et placidâ capiunt supplicis aure preces.

Venit ad expositos quondam lupa fœta gemellos,
Et moribunda aluit pignora lacte suo:
Nec nocuisse illis rabies stimulauit edendi,
Perdere cognatæ quos voluère manus.
Hoc tamē hoc patrasse homines scelus ? orta quis vn-
Credat Idumæis talia monstra plagis? (quam.
Quoquò oculos vertam, noua me spectacula terrent,
Insolitæque animum turbat imago necis.
Heic miseram aspicio Matrem, cui vulnere apertum
Deposito nondum pignore pectus hiat.
Hæc prono, illa jacet resupino corpore; natus
Nec procul à cæsa Matre peremtus abest.
Hæret adhuc Matris teneris amplexibus alter;
Inter & exanimis brachia Matris obit.
Sanguinis hic riuum Matris cum flumine miscet:
Matris at ille suo mortuus ora premit.
Huic patet effossum gladio latus, atque patenti
Vulnere cum roseo viscera lacte fluunt.
Sic rapido excussi sparguntur turbine flores,
Siue tuo ore Aquilo, seu gelide Eure tuo.
Sic fracto aspicias languentia lilia collo
Tristia squalenti funera fronde queri.
Sic vsta ardenti liuere papauera ab Austro,
Pallere & violas, & sine honore rosas.
Candidula infantum rorantur sanguine membra;
Sanguinéque & mixto flumina lacte rubent.
Vt cùm Phœniceo Syra fœmina tinxerit ostro

Pulcrum ebur; aut puro cùm rosa lacte natat.
Aut etiam minio cùm permiscetur ibero
Lana Pyrenæis æthere sparsa iugis.
Tu quæ Iessæa laudaris origine gentis.
Quàm Bethlema aliud nunc tibi nomen erit?
Panis eras antiqua domus, nunc sanguinis antrum
Diceris, & pubis carnificina tuæ.
Tu modo sidereà demissum numen abarce
Cepisti gremio terra beata tuo.
Tu modò ab Eoi properantes finibus Orbis
Vidisti ternos ad tua lustra Duces.
Spectasti hos triplici venerantes munere; notus
Rex fuit his auro, myrrha Homo, thure Deus.
At nunc ò! sortem inuisam, miseranda tuorum
Vndanti infantum sanguine vbiquè mades.
Quale rubet totum exortà Pallantide cœlum;
Aut sol cùm Hesperio mergitur Oceano.
Aut cùm Thessalico per nubila Luna laborat
Carmine; Erythræi qualis & vnda maris.
At vos si taleis vtero gestastis alumnos,
O matres, matres si tamen esse putem.
Ah! quid non matres? matres sic pignora deflent;
Conuenit & veris matribus iste dolor.
Sic lamentari, sic plangere pectora palmis;
Sic quoque natorum funera obire solent.
Sic solet abreptà lateri mugire iuuencà
Mater, & horrendis concutere arua sonis.

Nec miserabilius gemit irrequieta peremptum
Fronde sub vmbrosa Daulias ales Ityn.
Ecquis inhumano mactauit funere Natos,
Dicite, & insontes cur meruere necem?
Dicite & immodicos momento sistite luctus?
Non patitur longas ira dolórque moras.
Dicite? At ora graui nequit vlla resoluere luctu:
Tam grauis est cordis, qui premit ima dolor.
Non sic dura silex, non sic Sipyleïa cautes,
Non sic vnda pigro frigore vincta riget:
Quid moror, aut dubiam suspendo examine mentem?
Quid rupes querulas sollicitare iuuat?
Inclyta nonne tua, Herodes, victoria dextra est?
Nonne hæc virtutis sunt monumenta tuæ?
Nominis egregium decus, & præclara tyranni
Gloria, in Infanteis arma tulisse manus?
Infanteis matrum auulsos amplexibus, & queis
Vix bis tantùm æstas, bísque cucurrit hiems.
Audisti Bethlemiticis regionibus ortum,
Cui sua sit Solyme sceptra datura, Ducem.
Cui neque sit virtus, nec regia cedere sceptra
Gloria; quæ generi perpetuanda tuo.
Dum licet, infirmo surgitque arbuscula trunco,
Vellendam valida protinus esse manu.
Vix vllo annosas euerti robore quercus.
Magna fouent longæ sæpe pericla moræ.
Hinc furis, immeritisque Infantum stragibus omneis

Bethlemæ reples, ambitioſe, domos:
Nec parcis proprio, Tigris immaniſsima, nato.
Puppulus in cunis quid metuendus erat?
Quid Patrem Natus, quid Regem terreat Infans,
Qui neque ſceptra cupit, cui neque terror ineſt?
Non potius ſoboles terreret adultior annis,
Iuncta tibi coniux quam Mariamna dedit?
Téne ego te humana prognatum matre putarim?
Immò te Hyrcanæ progenuêre feræ.
Hoccine ſanguineæ Mareoticus arbiter aræ?
Hoccine tortoris flamma Syracuſij?
Hoccine Cecropiæ prædo exitiabilis oræ?
Hoccine inhumana qui dape pauit equos?
Siue aliud monſtris monſtrum eſt immanius iſtis
Tam graue, támque atrox ediderítne ſcelus?
Hoc tu Auguſte feres? hoc diri Regis inultum,
Hoc Patris in ſobolem, Te duce, crimen erit?
Non perdes immane caput, qui ſemina veſtri
Vna tanta die perdidit imperij?
Tuque Deo obſiſtes, Herode, æternáque cœli
Decreta humano rumpere Marte putas?
Stulte, Gigantæos imitaris mente furores,
Molibus oppreſsi qui iacuêre ſuis.
Quæ modò perſequeris furibunda infantulis arma
Effugiet; Deus eſt, quem, ſcelerate, petis.
Perdere poſſe putas, ſuperi cui ſceptra reſeruant
Quis ſucceſſorem perdidit ante ſuum?

Rex erit, & sceptris Iudæ potietur auitis,
Iessææ referens nobile stemma domus.
Nec terris regnum circumscribetur Hebræis;
Hoc longè vltrà amplum proferet Oceanum.
Seruiet huic Arctos, ardens quoque seruiet Auster;
Eoæ pariter Hesperiæque plagæ.
Teque tuosque sua pressos ditione tenebit;
Excidet & capiti rapta Corona tuo.
Crudeleis pœnas dabis, Infantúmque minaceis,
Noctes atque dies, experière manus.
Ah! quoties lethum optabis, lethúmque roganti,
In pœnam vt possis viuere, nemo dabit.
Auguror, & corpus vermes, & conscia tantis
Pectora flagitijs verbera cæca prement.
Nec priùs hæc tormenta animũ, quàm vita relinquent;
Atque priùs, mentis quàm dolor, illa cadet.
FELICES ANIMÆ, *quas inscius intulit Astris*
Hic Leo, fœlices térque quatérque Animæ.
FELICES PUERI, *superi consortia regni*
Queis Puer immani saluus ab hoste dedit:
Vos vbi sidereos viderunt scandere in orbeis,
Ipsa suum vobis astra dedere locum.
Purius & vestrum iubar est, & puriùs illis
Sideribus vestræ promicuere faces.
Nam quid ego tumulos congestis floribus ornem?
Aut vario cumulos veris honore struam?
Qui tot lucetis flores cœlestibus hortis,

Perſtantes ſuperas oris odore domos.
SALVETE, & Pueris felices eſte Puelli,
Æternum puri præſidium eſte chori.
Sic AGNVM quocumque ierit, veſtra vſq; ſequātur
Agmina, & æthereo ducite in orbe choros.
At vos, ô noſtri teſtes ſociïque doloris,
Edite, ſi quidquam lugubre ſpirat amor.
Supremos PVERIS mecum perſoluite honores:
Non ingrata piæ gratia mentis erit.
Hàc ego luctificà monumentum ſigno cupreſſo.
Æterna hæc PVERIS ARA DOLORIS erit.

IOANNES IN DESERTO.

ELEGIA.

QVALEM te, puer, horrenda contemplor Eremo,
Matris adhuc vlnis dulce futurus onus?
Vnde tibi hirſuto velantur membra Camelo?
Unde caput nudus, nudus & vnde pedes?
Aut te ſolivago errantem per inhoſpita ſaxa
Cerno gradu, & bruta viuere more feræ?
Nunc crudam tenera vulſam ab radice locuſtam,
Nunc frutiois tenues frangere dente comas?
Nunc & ab annoſa properare cibaria quercu,
Flauáque furtiua quærere mella manu?
Nunc haurire caua Iordanis flumina palma?
Nunc liquido ardentem fonte leuare ſitim?
Nunc matutina rorari membra pruina,
Quem roſeo ore tibi roſcida fundit Eos?

Nunc

Nunc rigidas tolerare hiemes, athrámque rigentem,
Nunc Hyperionio fortiùs igne coqui?
Quæ te odia, aut quæ te primæui crimina floris
Ista relegarunt in loca, Parue puer?
Non te auidæ tigres, iracundíque leones,
Non quæcunque habitant hæc loca, monstra fugant?
Quæ rabidis inerit syluarum gratia monstris?
Quis leo? quæ membris temperet vrsa tuis?
Immanes adeò in te homines sine more fuerunt?
Si tamen vllius crimen id esse putem?
Deuouitne Parens? prò! mens fuit ista Parentis,
Perderet vt viduæ pignora sola domûs?
Expulerit Mater? Mater! quò concita Natum
In trepida hæc ageret lustra furore Parens?
Improbe, lusisti forsan Matrémque Patremque,
Nec fictas quiisti ferre vtriusque minas.
Fortè importuno clamore domestica turbas
Otia, nec per te est ædibus vlla quies.
Ipsa manum intentat mater, pater admouet iras;
Nec tu fletu oculos, nec gemitu ora tenes.
Num tibi macteolæ deerant, dulcíque placentæ
Melle litæ? hinc bilem ficta repulsa facit.
Poscebas pomum Matrem; simul illa negauit,
Bile infantili feruidus inde fugis.
Sic fugis, accensásque foues præcordibus iras;
Et properæ in syluas hæc tibi caussa fugæ?
Crudelis; sobole orbatos liquisse Parentes,

Queis vna ætatis spes senioris eras?
Sic quoque deflexæ solatia tollere vitæ?
Sic quoque præcipites præcipitare dies?
Non mentem subeunt lacrymæ, gemitusq; Parentum,
Flebilibúsque sonant vt tua tecta modis?
Non viduata domus, deploratique Penates,
Qui sibi iam Domino deficiente gemunt.
Necdum obfirmatas tristis tibi nuncius aureis
Perculit, orbatum prole obijsse Patrem?
Iam Matrem exhalare animam, victámque dolore
Semianimem media procubuisse domo?
Qui nunc caussa Patri interitûs, fugitiue, fuisti,
Interitûs Matri túne etiam autor eris?
Vnius satis; alterius ne morte Parentis
Auxeris insolito grande furore scelus.
Spirat adhuc, propera; spirantem inuise, redibit
Qui modò supremo spiritus ore fugit.
Sed renuis, frontémque trahis, nec mollia Matris
Nomina, nec sanctas excipis aure preces.
At subeat, cùm te grauida gestauit in aluo,
Et tumidi fueris quàm graue ventris onus.
Quamq; graueis pariendo tulit quondam illa dolores:
Quámque graueis partum rursus alendo tulit.
Crudelis; blandæne adeò cessère Parentis
Deliciæ, & cinctæ per tua colla manus?
Vt gremium premis, atque inter sinuata recumbis
Brachia; Vt ore tuo hæc basia mille legit?

Ut toto ore tibi incumbit, néue oſcula quiſquam
Enumeret, labris non monet ora tuis.
Ut radiantem auro & per eburnea colla vagantem
Cæſariem digitis torquet, & ornat acu.
Miraturque oculorum ignes ſua ſidera, quæque
Ambroſias tingit purpura grata genas?
Infœcundæ animum ſubeant opprobria Matris,
Dum tanto occluſus tempore venter erat.
Jlla vbi fœcundo arcebatur ab agmine matrum.
Cuíque nefas ſterili templa ſubire pede.
Quot lacrymis, quot te precibus, quotque anxia votis
Emerit, & querulis mouerit aſtra modis.
Quótque paris veſtræ naſcendo gaudia genti,
Tot gemitus tectis, aufugiendo cies.
Parue redi, tectis tecum intermiſſa redibunt
Gaudia, vaneſcet, te redeunte, dolor.
En te Pontificis munus vocat, altáque ſanctum
Vinctura Aſſyrio fune tiara caput.
Te lautis epulæ menſis, te ſplendida functi
Tecta Patris, Genij te ſacra iura vocant.
Te conſors thalami ingenti cum dote moratur,
Cui decus, & Syriæ proxima forma Deæ eſt.
Te ſpes natorum, te propagata nepotum
Turba vocat, Patris nomen auique vocat.
Te ſeruorum ingens numerus, cunéique clientum,
Mille greges, ruris prædia, Patris opes;
Te dites reuocant abaci, laqueata domorum

Atria, & Aſſyrijs purpura ſtrata toris.
Ignotus ſic ampla hæres potietur opum vi?
Támque potens fiet præda aliena domus?
Sed renuis frontémque trahis, nec blanda Parentum
Nomina, nec te apices, nec tori, opéſque mouent.
Quæ noua mens? quis, Zacharide, te diſtulit error?
Téne hominem in ſyluis depoſuiſſe putem?
Quis mutet vacuis populoſas ſaltibus vrbes?
Quis fugiens homines, malit adire feras?
Quis, quæ mortales genio inſtigante ſequuntur,
Reſpuat, atque opibus pauperiem anteferat?
Quis, quem vltrò ambit honos, non hic quoque gratus
Ambiat, aut populi ſpernat honore coli, (honorem
Quem neque lauta iuuent variæ conuiuia menſæ,
Et cocta crudum pro dape mandat olus?
Inſcius aut vitæ hic properat ſibi fata, diéſque
Ducere quos liceat, ſpe breuiore ſecat.
Non hæc, non hominis mens eſt; ſed miſſus ab alto
Spiritus humanis mentibus ille venit.
Ille arctis Matrum natos diuellit ab vlnis,
Et conſanguineo ſoluit amore Patrum.
Naturæ iura euertit, vincla omnia rumpit;
Nec ſtat honos, contrà ſtatue Paternus amor.
Non ſic ipſa olim cæſi ſuper ora Parentis
Exhorreſcenteis Auſonis egit equos;
Quàm, qui diuino mentem inflammatus amore,
Proterit intrepido membra paterna pede.

Instantique instat Genetrici, audáxque suórum
Moesta videt siccis funera luminibus.
Continuò illa Dei resonant Oracula ad aureis,
Vera magè ambiguo quàm Pythij ore data.
Sanguinis auctores præ me lucisque parentes
Quisquis amat, non me dignus hic esse potest.
Sanguinis auctores quid enim lucísque parentes
Hos voco? lux, sanguis, vitáque tota mea est.
Auctores quoscumque vocas, quoscumque Parentes,
Num prior auctor ego his ipse, paréńsque fui?
Sæpe suos perimunt natos suo amore Parentes:
Quos amo, tuta illos vita salúsque manet.
Me sequere & falsi dubijs animam eripe mundi
Fluctibus; an dubia est, me duce, ad astra via?
At tibi quænam animos medio fiducia Mundo
Mille hostes inter tollere tanta potest?
Hydrorum teneris capita elidenda sub annis
Heic vbi, quæ primo limine bella mouent.
Dictæisque alius longè truculentior agris
Taurus, & obliquo dente timendus Aper.
Portenta heic validis Nemeæa premenda lacertis;
Heic quoque sunt Stygiæ colla domanda Canis.
Quin & tergeminus numerosos obijcit artus
Geryones, & qui iactat ab ore faceis.
Hesperidum auriferis heic custos additus hortis,
Lumina cui nullo vincta sopore iacent.
Sunt & Amazoniæ Mauortia castra phalanges

Quæque sua toties nascitur Hydra nece.
Et quæ te, Domitor monstrorum, virgo coëgit
Mollia belligera ducere pensa manu.
Quæque alia immani discludit gurgite Mundus
Monstra; Hæc si superes, Hercule maior eris.
At tibi quæ speranda venit victoria, tanti
Cùm tua tótque hostes vndique terga premant?
Mille quis Alcides stet contrà solus? iniqua,
Sic vbi spes dubia est, congredière manu?
Pugnanda est hæc pugna tamen; dubij alea Martis
Detrectanda nec est, quæ subeunda tibi est
Sed neque compositos tuto pede stabis in hostes,
Blando omnis virtus hostica in ore sedet.
Blandæ oculorum acies, fucatáque blandiùs ora.
Labentur, simul hæc videris, arma, manu.
Pugnandum tamen est. Dubiam pugnanda salutem,
Quid tandem faciam, si mihi pugna facit?
Aufuge. quid suades? inhonestis versa secari
Ignauus patiar sic mihi terga notis?
Si fugias, vinces; si stes, vincèris. honesta est
Hæc fuga, & huic sola est debita palma fugæ.
Sic versis animosus equis hostilia Parthus
Agmina non stando, sed fugiendo fugat.
Sic patrios victor quondam fugiendo Penatès
Zacharides triplicis contudit ora Feræ.
Insidiatrices domuit Cacodæmonis artes,
Illecebras Mundi, Cyprigenæque faces.

Quid, Puer, horrescis? Puerum puerilibus annis
Deseruïsse domum Patris, vt antra petas?
Forteis ista viros non tam certamina poscunt,
Quàm queis purpureæ sunt sine flore genæ.
Túne animo petis astra pari? fuge protinùs vrbes.
Quàm procul à patria dissidet vrbe Polus!
Otia amas? age, te ciuilibus eripe turbis.
Ciuica nil placidæ turba quietis habet.
Deliciásne petis? non quæ fastidia lauto
Aegra ori pariant, suauis Eremus habet.
Heic & muscosus nitidísque argenteus vndis
Fons leni alta inter murmure saxa fluit.
Hinc loca per deserta amnes labuntur, anhelam
Hinc liquido poteris rore leuare sitim.
Heic poteris luco fessus residere virenti,
Frondea vbi æstiuas temperat vmbra faces.
Heic & olorinis resonat concentibus aër;
Lætáque multiplici carmine garrit auis.
Heic pota, heic reside, heic cœli restingue calores;
Quod petis in Terris, diues Eremus habet.
Mel tibi suaue cauo sudatum robore lautas
Zacharidæq; dabit grata Locusta dapes.
Heic Natura cibos, non Ars malesana parauit.
Esse tibi melior Matre Nouerca potest?
Te nec inaccessus syluarum terreat horror,
Nec quæ prærupto vertice saxa vides.
Te neque terribiles Vrsi, Tigridésque, Lupæque,

Terreat, aut catulis orba Leæna suis.
Coniurata ruant in te licet omnia, cœlum,
Terra, suisque petant mota Elementa locis;
Et Libycis coëant simul excita monstra cauernis,
Quæque sub Inferno Styx fouet atra lacu.
Insultare quidem poterunt, non vincere; vanus
Vocum horrendarum non nisi stridor erit.
Sic quatit aërias sine fulmine Iupiter auras,
Nulláque commoto tela fragore vibrat.
Infameis Mundi feriunt vaga fulmina montes:
Tuta sed incolumeis seruat Eremus agros.
Sed prius extremùm quám te saluere, Puelle,
Iussero, & æternùm Musa valere velit;
Fare, age, nam vastâ vox es clamantis Eremo,
An mihi te fuerit sollicitare nefas?
Io. *Fas. Quid ego Mundo metuam, sine crimine cùm mens*
Secura est? Io. *Cura est. Cura quid illa facit?*
Io. *Ha! facit. At quid honos? quid opes? quid cætera tangunt?*
Io. *Angunt. Mundúmne est tam graue amare?* Io. *Mare.*
Certa quis esse Mari poterit per Sidera terror?
Io. *Error. At hæc tamdem spes superabit.* Io. *Abit.*
Spes abeat, vincámne Fide? Io. *Ne fide. Quid? anceps*
Sic erit ergo mihi vita? Io. *Ita. Pauca refer;*
Quæ potior requies dum Mundo hæremus. Io *Eremus.*
Heiccine

Heiccine felicem me fore reris? Io. *Eris.*
Quæ mihi spè spondes incertà? Io. *Certa. salúsne*
Certior hæc ollì, qui loca quærit? Io. *Erit.*
O! sed, Ereme hominum statio tutissima salue.
Heu! sine luce Dei quàm tua cæca via est.

ADRASTVS
ZALEVCI. F.

ADRASTVS. ARCHADION.

ADspicite, Ozolidæ, vestri noua iura Tyranni;
Supplicia effractâ quantáque lege luo.
Adspicite hoc patrij documentum immane furoris:
In sobolem potuit tam ferus esse Parens?
Aspicite effossum miserando lumen ADRASTO?
Squalidáque vt lacrymæ sanguinis ora lauant.
Hic ille est, si nostis, hic ille est vester ADRASTVS,
Vester amor, Locris spésque decúsque suis.
Sol ille exoriens vobis, decliue profundo,
Dum fessum vergit, Patre cadente, iubar:
Heu! vbi nunc sua forma nitens? vbi blandulus altæ

Frontis honos? vbi nunc gratus in ore decor?
Jlle decor dulcísque oculorum adſpectus in atra
Heu! tenebras, foſſo lumine, noctis abit.
Sol puros Indo fruſtrà vehet æquore currus;
Purior & pulſa nocte redibit Eos.
Nulla ſerenato Locris nitidiſsima cælo
Lux erit; at rapta luce ſepulta dies.
Quid tamdem, Ozolij, capiti diadema paratis?
Quænam erit vnoculo gloria Rege regi?
Forma hominis cui vix vlla eſt; vox ſola remanſit,
Vox index ſceleris ſola futura ſui.
Subditus has Regi, pœnas dedit? an reus æquas
Iudicis ad ſedes ſupplicia iſta tulit?
Quid non fas Regi ſi peccet ſubditus? aut quid
Non victo Iudex irroget ipſe reo?
Aequa manet Regis ſententia, Iudicis æqua;
Jn Natum fuerit nunquid iniqua Patris?
Damnaret Natum iudex Pater? vt neque gentis
Fama ſua, nati nec prohiberet amor?
An cari oblitus generis, non ipſe ſuorum
Horreat infectas ſanguine habere manus?
Horreat & rapta grauius ſcelus edere vita,
Et Nato infamem figere fronte notam.
Quæ Nati pœna eſt? quæ Nati infamia? quæ non
Patris in infauſtum ſit reditura caput?
Iudicium Patris Natus ſubit; an Patris iram,
An potiore ſcelus dicere iure licet?

Téne ego crudelem dicam, Pater? æquiùs æquum
Dicere; crudelis pœna, ſed æqua mea eſt.
Juſta tuli, fateor; quid enim querar? hei! mihi, tanti
Quòd veſana fuit cauſſa libido mali.
Dira libido tuis Iuuenum præcordia flammis,
Quæ longè Aetnæo fortiùs igne coquis.
Ac veluti errantes Siculis Acheloides vndis
Incautas rapiunt per vada cæca rates;
Peſtiferíſque actos ſub blanda pericula nautas
Cantibus, ipſa inter gaudia voce necant.
Sic nos illecebris captos, quò mollior ætas
Flectitur, in tectum pertrahis exitium.
O! nimiùm præceps animo, præcépſque Iuuenta
Corpore, non vllum nata tenere modum.
Quam neque pulcra ſuo Virtus incendit amore;
Non reuocat fœdus, qui ſceleri horror ineſt.
Cui neque princeps eſt ratio, neque flammeus ardet
Fronte pudor; pulſat cui neque corda metus.
Quæ fixas valido leges adamante refigis;
Nec pœnam, aut duri Iudicis ora paues.
Non terret ſacroſancta Deûm reuerentia; fama,
Quæ ſtat in ancipiti, non melioris amor.
At quà cæca trahit pellaci fronte Voluptas,
Fallaces ſequeris non beneſana vias.
Hàc furis, ætatis quà feruidus abripit æſtus,
Quáque procax animum ſanguinis ardor agit.
Non poſtrema caues, oculos dum prima morantur;

Nec quæ dira latent melle venena, vides.
Ac veluti sua fudit Apes mella, illa subinde
Aufugit, & diro corda dolore ferit.
Et fugit ipse dolor, sed probl infamia nullis
Temporis, aut hominum tollitur auxilijs.
Cocles eris, modico sed vitæ tempore, ADRASTE:
Aeterno ast hominum tempore Adulter eris.
At tibi crudelis, Pater: hoc crudelior in me,
Debita quòd Nato pœna luenda Patri est.
Peccauit Natus; Genitor cur plectitur? æqua
Iustitiæ sunt hæc iura, ZALEVCE, *tuæ?*
AR. *Hæc pietas Patris est, pœnam qui diuidit; Ipse*
Nam Pater est Nati pars mediata sui.
AD. *Non legem violat, pœnam qui diuidit, & cui*
Sónsque insónsque pari crimina sorte luunt?
AR. *Nulla Patris latæ facta est iniuria legi:*
Indulgens simul est Patris & æquus amor.
AD *Sons luat, vt solus peccauit Natus; & exsors*
Vt culpæ est, pœnæ sic Pater esto meæ.
Pendat adulterium, quod lex cauet, vnus Adulter.
Effode, quid dubitas? lumen vtrumque reo.
Supplicium sceleris patiar, non Principis iram,
Non saui imperia hæc dura Parentis erunt.
Lex cauet ipsa, OCVLO PRIVETVR ADVLTER
VTROQVE.
At non plena mihi pœna, nec æqua data est.
AR. *Effossus Patri est oculus, Nato alter; an ipse*

Peccasset prudens in sua Iura Pater?
AD. *Fixisti legem, Pater; an non ipse refigis?*
Ergo patri Natus criminis auctor erit?
Fortè Patris tibi suadet amor, cui cedere fas sit.
Gloria nulla tibi, Gratia nulla mihi.
AR. *Gloria magna fuit legem obseruasse* ZALEVCO:
Nec moderata, leuis gratia, pœna tibi est.
AD. *Vim latæ legis minuit, quam temperat auctor,*
Quæque foret, non est æqua putanda, modum.
AR. *Non modus est: quis enim? Vestrū priuatur vter-*
Vno oculo. non lex integra, pœna quoque est? (que
AD. *Hic dum oculo parcit, nil pœna tollit, at auget:*
Nati orbo grauior pœna futura Patre est.
Effode vtrumque Pater; petit hoc sibi Filius; immò
Flagitat; hoc meruit crimine, lege luat.
Effode, quid dubitas? vno mihi gratia saluo
Nulla oculo; Pietas hæc tua, pœna mihi est.
AR. *Plectere si sontem violata debuit æquus*
Rex lege, in Natum debuit esse pius.
AD. *Crudelis nimiùm Nato Pater. in tua diro*
Siccine, dum pius es, pignora more furis?
AR. *Parce Patri, Patris nulla est iniuria; Nato*
Indulsisse oculum gratia nulla tibi est?
AD. *Tanti Oculum liquisse fuit? num solis in vsum?*
Conscius ille meo crimine semper erit.
Ten' Pater, vt videam? vacuóne atrocia vultu
Sustineam Nati stigmata ferre Patrem?

Tu quoties præsens, toties clamabis, Adulter,
Hanc tua nostrâ vsit fronte libido notam.

AR. *Contrà. Tu quoties Genitorem lumine fossum*
Videris, exclames, Hoc tibi fodit Amor.

AD. *Hæcne feram? non si trifido mihi Iupiter obstet*
Igne, feram. tanti lux mihi emenda foret?

AR. *Quis furor admisso sceleri scelus addere? pœnas*
Errori exegit lex violata pares.

AD. *Effugiam Patrem; tenebris fruar orbus vtroque*
Lumine, perfusus nube obeunte caput.

AR. *Non facies: neque enim quicquã lex exigit vltrà*
Nam qua esses vltra dic mihi parte reus?

AD. *Peccauere duo, pœnas daret vnus? vterque*
Sic luat, vt culpæ est auctor vterque meæ.

AR. *Exsoluère duo, fodietur tertius insons.*
Non iusta excussis pœna duobus erit?

AD. *Peccauère mei, soli fodiantur. vterque*
Ite animi pestes, corporis ite mei.

AR. *Qui pœnam exegit, contracto crimine soluit*
Desine, non alia est pœna luenda tibi.

AD. *Ite, fuit ducibus vobis incestus* ADRASTVS.
Ite duûm neutro iam duce castus erit.

AR. *Excuteres reliquum? paterérne? at non ita; lumen.*
Luminibus redimam quin tuum ego antè meis.

AD. *Sed quid lucem oculo frustrà fugis orbus vtroque?*
Non fugis illatam nomini, ADRASTE, *notam.*
Te sequitur fugientem, æternúmque illa sequetur,

Annorum æterna non ſoluënda die.
Sed morere, & fuſo deterge ſanguine crimen.
Non macula impuro flumine talis abit.
AR. *Téne mori, & ſtricto ante diem mucrone perire?*
Victima non culpæ poſcitur iſta tuæ.
AD. *Sed moriar, quiſquis contracto crimine viuit,*
Quærit in infami dedecore ipſe decus.
AR. *Siſte manum: non hac reparatur gloria morte.*
Emendare ſcelus, tollere nemo poteſt:

MAR. TVLLIVS PROSCRIPTVS.

Dum procul Auſonia Treuirûm fugit vrbe furorem
Vltima ſpes Latÿ Tullius imperÿ;
Hoſtileiſque in ſe iam iam properare cohortes,
Et iugulo gladios ſentit adeſſe ſuo;
Infelix CICERO *fatis! heu poſcitur, inquit,*
Poſcitur hac vmbræ victima, IVLE, *tuæ.*
Nam ſimul Octauio ſocÿs Antonius armis
Hæſit, & in patriam pacta vtriúſque fides;

OCTAVI *vltrices,dixi, nec* IVNIVS *iras.*
ANTONI *gladios nec* CICERO *effugiet.*
Dij tamen instantem, si visum,auertite pestem,
Diráque in auctores vertite tela suos.
At tu Romulea Pater Optime Maxime gentis
Iuppiter, idem hominum Rex, genitórque Deûm.
Quaque Ioui socios sortitá es Pallas honores,
Vna mihi ante alias ô Dea culta Deas,
Tu quoque Iterduca,seu Magna nomine gaudes
Regina, Iuno,sponsa sororque Iouis:
Este boni, & trepidis, tria maxima Numina,votis
Annuite, & placida suscipite aure preces.
Ferte laboranti auxilium , quo Martia quondam
Cum superûm templis, Consule, Roma stetit.
Túque graues quondam Aenea miserate labores,
Dum fines profugus tenderet in Latios,
Sterne Notos, Neptune,atque aquore Graca secundo
Littora felici da penetrare rate.
Tum niger Aemonijs taurus tibi concidet oris,
Sacráque porriciam fluctibus exta tuis.
Ah! quid ego vanis posco tua numina votis,
Si tumidum elatis plus furit aquor aquis?
Subsultant pelago, & sese super ardua tollunt
Delphines, Nereo subrugiente, freta.
Ventorum grauidus geminatis insonat æther
Flatibus, atque imis vertitur vnda vadis.
Tollite,me ô famuli,conuertite vela, relictos

Caietæ

Caietæ repetat versa carina sinus.
Occidimus! sic est. præsentémque omina mortem
Portendunt; nec spes vlla salutis adest.
Desinite. aduersas frustrà trabe verrimus vndas.
Quis maris inuito cærula Rege secet?
Me si fata negant letho subducere, terra
Quàm medijs animam fundere præstat aquis.
Ergo has, Roma, mihi grates ingrata rependis?
Ergo vna pereunt tot benefacta die?
Fas memorasse mihi, tibíque exprobrasse, Parenti
Quæ tamen haud ciuem persoluïsse piget.
Non mihi sunt restincta tuis incendia tectis?
Non Catilinææ flamma repressa facis?
Me PATREM *hinc* PATRIÆ *celebras, nullíque priorum*
Quod dederas, nomen das benè grata mihi.
Quosque alij ob domitos hostes egère triumphos:
Egit seruatam Tullius ob patriam.
Seruauit patriam, quæ sanguine Seruatoris
Pollueret diras libera facta manus.
Longa pati immeritò exilia, actas funditus ædes,
Captáque Telegon I prædia opima soli.
Quódque domi fuerat posita venale sub hasta
Distraxisse tuo, te licitante, foro;
Vxorem Natosque rapi; tolerare nefanda;
In pretium seruos vincláque acerba trahi;
Non satis hoc fuit, atque altum simulasse dolorem,
Hinc dum abeo, & vultum fingere dum redeo.

Me tibi restituis, cupidéque amplecteris, olìm
Vt fidei ista tuæ perfida signa dares.
Post te pósteque tuos raptos è faucibus Orci,
Seruatósque reos, iam tibi fio reus.
Totque assertoris capitum petitur caput; an quòd
Tot capitis scelus est absoluïsse reos?
Hæc tua nimirùm tantos post sanguinis haustus
Sola meo extingui sanguine flamma potest.
At si tanta mei sitis est tibi, Roma, cruoris;
Tantam vtinam extinguat gutta suprema sitim!
Pande ora, effosso totum tibi pectore fundam:
Hoc mea transfodiet, non aliena manus.
Jam repeto tua tecta, fugæ pudet; hoc mihi votum
Grata tibi vt media victima in vrbe cadam.
Sistite me patriæ, ô superi, patriæ oscula figam,
Et patriæ redimam sanguine fata mea.
Dixerat, & patriæ memorato nomine, penè
Cum voce aufugit carcere vita suo.
Tum crebris pulsans singultibus ilia, veste
Triste superiecta contegit ipse caput.
Cecropiæ extorrem sic vrbis proxima quondam
Fata Neocliden ingemuisse ferunt.
Intereà aduersos geminato remige ventos
Anxia nautarum frangere turba parat.
Stant contrà; sed enim insurgunt violentiùs vndæ,
Et redit in littus, soluerat vnde ratis.
Lecticæ impositum pars cœca ambage viarum,

Si letho posſit tollere, tollit herum.
Sed fugit ille fuga turpem ſibi quærere vitam
Et mortem patrio poſcit obire ſolo.
Ac ſimul hoſtiles capit aduentare phalangas,
Nulliúſque ſibi ſpem ſupereſſe fugæ.
Vertite, ait, rhedam, ô famuli, occurramus in hoſtem.
Vos fugite, vnus ego qui petor, ipſe cadam.
Obſtupuit medios inter ſimul adſpicit hoſtes
Poppilium. Hoſtíſne hic, num ſibi amicus adeſt?
Hoſtis adeſt, quid agis? Cicero eſt; tuus ille patronus,
Debitor es vitæ: cui, ſcelerate, tuæ?
Túne pium gladio fodies iugulum, vnde ſalutis
Manarunt nuper ſancta fluenta tuæ?
Jam te equidem, iam te reor occidiſſe Parentem,
Qui non Patrono parcis, inique, tuo.
Non mihi, Marce, tuæ ſint tantî oracula linguæ.
Quod viuo ore negas, hoc moriente probas.
Infelix tua, Marce, tibi facundia! Iudex
Cui ceſſit, ceſſit non tamen ipſe Reus.
Patronum perimit Reus: hoc ſpectate Patroni:
Talia defenſi præmia ſunt ſceleris.
Tene ego, te Tulli, abſoluam, damnémue Clientem?
Si pœna eſt ſceleri debita, iure cadis.
Eſto, reo tantum ſcelus occidiſſe Patronum:
Quantum Patrono eſt abſoluïſſe reum?
Non tamen hæc non hæc merces referenda Patrono,
Próque ſalute ſalus eripienda fuit.

Sed dum ceruices humero tenus enſe reuellis,
Quid iuuat & geminas præſecuiſſe manus?
Occiſum laceraſſe nefas; non bis tibi tanti
Dire hominum ſatis eſt criminis eſſe reum?
Bis patricida nouum gemino ſcelus ingeris? an quòd
Criminibus deerat tertia palma tuis?
Sol ferrugineo faciem tunc fertur amictu
Texiſſe, & celeres continuiſſe rotas.
Auſonium Auſoniæ Patrem fleuère Camœnæ,
Fleuit & extinctum perdita Roma Patrem.
Et quæ Diua ſuo perfundere nectare linguam
Sueuerat, & labijs Suada ſedere ſuis;
Vt fauces patuère, & in auras vita receſsit,
Exanimis terras non reditura fugit.

CALLISTI INTERITVS
ELEGIA IX.

SI magnas tetigère vmquam mortalia Diuas
Funera, & humanis ingemuère malis:
Si Natum Thetis Aeaciden, Tithonia Natum
Iliacis functum Memnona luxit agris:
Plorauit si mater Ityn, matérque Learchum;
Si fato indoluit Cypris, Adoni, tuo.
Lugubris incomptos, Elegeia, solue capillos,
Liuidáque aduersâ pectora tunde manu.
In geminum resoluta abeant tua lumina fontem,
Et gemina è gemino flumina fonte fluant.
C ALLISTVS *perijt, perijt tuus ille Poëta,*
Quo melior luctus fingere nemo fuit.
Hei! mihi, quem crudo sublatum funere cerno,
Et tantum ingenij cerno perîsse decus.
Sic igitur vestrum, Aonides, seruastis alumnum?
Sic dum falce instat Parca, tulistis opem.
Quærebat lauros, mœstas tulit ille cupressos,
Próque hedera, heu! apium funebre fronte gerit.

Dúmque Aganippæos auido bibit ore liquores,
Proluit, hic Stygijs flebile guttur aquis.
Ast immortaleis rebar tamen esse Poëtas,
Daphnæam tererent si modò dente comam.
Ecquid Cælicolûm vates; quid cura vocamur,
Phœbe, tua, Aonij deliciæque chori?
Quid superis placuisse juuat? quid conscia cæli
Pectora, quid plenâ mente habuisse Deum?
Quid, quod & ætheræ sanctum est penetralibus aulæ
Consecrasse suis, sed sine labe, modis?
O! vatum exitialis honos. ô! inania vatum
Nomina & ô! vanæ noxie laudis amor.
Heu! post mille graueis curas, post mille labores,
Tractósque in noctes per studium acre dies,
Plebeijs æquant miserandos fata Poëtas;
Supremos virtus nec fugit ipsa rogos.
Non pietas, non vester amor, non gratia, Musæ,
Gnosiaco vates eripuêre foro?
Quid tibi, Threicijs vates memorabilis oris,
Calliopes sanctum profuit esse genus?
Quid fidibus longo deduxisse agmine syluas,
Ingeniúmque ipsis mite dedisse feris?
Flumina constrinxisse vadis, totóque furenteis
Aëre cum Coris continuisse Notos?
Quid summum ad modulos tota cum gente Deorum
Montibus Ismarijs elicuisse Iouem?
Quid Dryadas syluis duxisse, & Oreadas altis

Collibus, æquoreis Nereidásque fretis?
Vmbrarúmque semel Dominos flexisse, tuámque
Tænariâ Eurydicen eripuisse domo?
Bistonio tamen ecce jaces caput ense recisus,
Truncáque sanguineis membra teruntur agris.
Ismarus & Rhodope horribili crepuère fragore,
Purpureísque rubens ferbuit Hebrus aquis.
Quíque tibi Eurydicen facilis dimiserat Orcus,
Functo iterum ad superos ipse negauit iter.
Quid matrem Vraniam iactas, Line, & arduum ad Othryn
Emollisse tuis Thracia saxa modis?
Quídue lyræ aptatis Ioue natum Amphiona chordis
Rursus Cadmæas ædificasse domos?
Asperáque in celsas nulla coëuntia turres
Saxa manu docilem sponte secuta chelyn?
Quid tibi, Mæonide, cecinisse Agamemnona, flãmásq;
Æacidæ, & cursus, Dux Cephalæne, tuos?
Si tecum Æacides, Laërtiadésque, tuúsque
Æternâ tecum morte Agamemno iacet?
Sola tua atque horum superest post funera fama,
Carminis hæc merces omnis, Homere, tui.
Hippolytum superas frustrà remeare sub auras
Pergameus medicâ fecerat arte senex.
Hippolytíque parens præfracto Acheronte parauit
Vincula constricto rumpere Pirithoo.
Hippolytum, Ægidénque, satúmque Ixione clausit

Tartarea æterno robore Pluto domus.
Si quà horum pars fortè manet, vi carminis illa
Lethæos vitat non peritura lacus.
Sit Libitina potens, sit ineluctabile fatum,
Omnibus iniiciat Parca seuera manus.
Plebeióque gregi mixtus malè conscius Heros
Damnandus solio stet, Rhadamanthe, tuo.
Non queror. Esto, nec hic animum dolor acrior vrit;
*C*ALLISTVM *ætatis vere perisse queror.*
*C*ALLISTE *heu! primos vitæ sub amabilis ortus*
Occidis, atque Erebo fœda rapina iaces?
Quæ vestra hæc, Superi, inuidia est? quid munera, vestra
Dextera quæ spargit, tam citò læua rapit?
Carceribus vix se hic obliquum effundit in æquor:
Vix celeres vitæ corripit ille vias:
Primâ illum, hunc media mors interrumpit arena,
Et iacet impressâ mox reuolutus humo.
Extremas pauci, quæ Cœli est gratia, metas
Emerito annorum preteriêre gradu.
O! sortem inuisam, nimiúmque immania Diuûm
Numina! iura hominum deteriora feris.
Pelle draco exutà veteres simul exuit annos,
Longæuæque æquant secula multa feræ.
Ipse rogo senium ponit Phœbeïus ales,
Et reddunt ortus falsa sepulchra nouos.
Quíque pater fuerat, natus sibi prosilit idem:

Et

Et quamuis pereat, non tamen ipse perit.
Vtque in se æterno sua per vestigia motu
Sol meat, emensas ítque redítque vias:
Sic æterna suos volucris præteruolat annos,
In se easdem patiens vitæ obitúsque vices.
Solus homo primæ rapitur sub flore iuuentæ
Cui Clotho annorum tempora iusta negat.
Tempora temporibus reparantur, frigore tonsæ
Arboribus redeunt vere ineunte comæ.
Asperiórque gelu tellus resoluta Fauonij
Flamine flore sinum versicolore tegit.
At simul occidimus, Stygiísque immergimur vndis,
Nulla homini est vitæ spes adeunda nouæ.
Dicite Cælicolæ fragili quæ corpore dìos
Mens vobis animos claudere læua fuit?
Quòd si hominum duris sunt nata obnoxia fatis
Corpora (non vlli lex soluënda Deo.)
Quid non munîstis rigido corpuscula ferro,
Aut scopulo, aut validi tutâ adamantis ope?
Si fugisse nefas, fas elusisse fuisset,
Et vitæ in longos tempora ferre dies.
*Ast quoniam ereptus nobis, C*ALLISTE*, perîsti,*
Mutua nec mortem mors reparare potest.
*Aeternùm C*ALLISTE *vale, vale, ô mihi fratre*
Frater amabilior, lux mea aue atque vale.
*Vita mea, C*ALLISTE*, anima: cur non mihi tecum*
Si licuit quondam viuere, obire licet?

Cur non vno eodémque duûm, Dea, pollice rumpis
Stamina, si vitæ sors fuit vna duûm?
Rumpe age, nàmque mihi productæ gratia vitæ
Nulla erit; at grauior nocte futura dies.
At parce, ô CALLISTE, *abeuntem nî sequar; alter*
Qui mî animum heic grauior torqueat, æstus erit.
Nam dum fata moror, morior, vitáq; superstes
Quicquid erit sine te, supplicium illud erit.
Quicquid & illud erit, tibi seruiet, altáq; nostro
Pectore, dum viuam, viuet imago tua.
At tu aliud functo monumentum haud quære viator,
Quàm CALLISTI *in me quod sibi struxit amor.*
Corporibus fuerat si quondam anima vna duobus,
Nunc vno geminæ corpore sunt animæ.
Quodq; olim Mater vitalibus extulit auris
Corpus, honorato condidit ipsa loco.
At vos ô vates, manibus date lilia plenis,
Puráq; purpureis spargite busta rosis.
Accumulate animam donis, & ritè precati
Dicite, CALLISTI *molliter ossa cubent.*

BEATISSIMAE
VIRGINIS MARIAE
CANDOR.

I.

CONDE tuas formoſa faces, LATONIA, non eſt
Hic tuus, Argēti qui micat ore color.
Menſtrua gratuito reparat tibi cornua frater
Lumine, dum tacitæ tempora noctis obis.
Non formæ tibi conſtat honos; nunc plenior orbe,
Nunc minor, aut mediâ parte reciſa nites.
PVLCRIOR es pulcrâ VIRGO IESSEIA, LVNA,
Alternas patitur nec tua forma vices.

II.

LILIA Junonis d'io albeſcentia lacte,
Auro intertextas ponite fronte comas.
Nil breuius veſtræ ſpecioſo frondis honore;
Quámque placet candor, tam malè fœtet odor:
Quámque Deæ pulcrum eſt lactis candore nitere;
Tam graue fœtere eſt turpis odore Nothj.

LILIVM es æterno, VIRGO, candore nitescens,
Candorémque oris cœlicus æquat odor.

III.

CEDITE, quæ vestro Junonia Lilia quondam
Æquastis, Veneris cura, nitore, ROSÆ.
At nunc sanguineo Cythereïdos imbre rubetis.
Siue Cupido tuo, seu Cynaræ tuo.
Purpureo calyces idem qui soluit in ortu,
Soluit & occasu Cynthius ipse suo.
ALBA ROSA es, VIRGO, nullóque infecta cruore,
Candidus & casto est, qui natat ore decor.

IV.

ET vos æthereis radiantes arcibus ignes,
Quæq; polo ad numerum ducitis, ASTRA, choros.
Non ego non intempestâ cita lumina nocte,
Circúmque errantes miror inane faces.
Ut tamen Eois Titan caput exerit vndis,
Quadriiugis supero vos fugat axe suis.
ASTRVM es, VIRGO, tuo nec Soli lumine cedis,
Flammiferúmque tibi subiicit ille iubar.

V.

STAMINA concreto sensim illabentia nimbo,
Pulcra oculis, plantis noxia turba, NIVES.
Vix dum ego vos varios mundo eripuisse colores
Adspicio, & terrarum occuluisse decus.
Cùm simul Hesperiis Zephyrus laxatur ab oris,
Illius in liquidas flamine abitis aquas.

NIX, VIRGO, es, tepida nec flamine solueris aura;
Forma nec æthereo saucia ab igne fluit.

VI.

ALTERA Purpurea est, soror altera flamea, vtráq;
Vna nitore tuo plus, VIOLA ALBA, places.
Tristis hiems, simul exoreris, petit ocyus Arcton,
Gratáque primæui nuncia veris ades.
At citò marcescit candor; quámq; orta fugasti,
Te rediens eadem sæpe fugauit hiems.
Æterni VIOLA es, VIRGO, prænuncia veris,
Quámque fugas, nunquam te fera læsit hiems.

VII.

NEC mihi certantem niuibus iactate nitorem,
Pulcra COLVMBA tuum, pulcer OLORque tuũ.
Nec quòd, CYGNE, tuis se Jupiter abdidit alis,
Tyndareæ quondam captus amore nurus.
Nec vos quòd iungat Cypris ad sua plaustra COLVMBÆ.
Et Jouis & Veneris turpe ministerium est.
VIRGO, OLOR ès niueus, niuea es quoque, VIRGO COLVMBA,
Atque COLVMBA tuæ cedit OLORque niui.

VIII.

PVLCER eras NARCISSE puer, coma sidere digna;
Ora rosis, flammis lumina, colla niue.
Pulcer honos formæ, sed cuius amore peristi,
Jnque tui florem nominis isse ferunt.

Ast frustrà liquidas habitas prope fluminis vndas.
Quàm tibi forma leuis, tàm tibi vita breuis.
Purior es, VIRGO, Narcissi flore, nec vllam
Formæ tu pœnam passa ab amore tuæ es.

X.

MARMORA Mygdonijs, Pyreneisue reuulsa
Mõtibus, aut Scythicis cæsa ALABASTRA jugis.
Seu referant simulacra, aut longis celsa columnis
Tecta ferant, rasis parietibúsque micent.
Siue cauis ponant subsellia lata theatris.
Robur habent; sed cum robore candor abit.
MARMOR es, ô VIRGO, & cãdor cõstantior ipso
Marmore, præda nec is temporis esse potest.

XI.

LACTEE materno qui profluis vbere SANGVIS,
Quem cupido exsugit blandulus ore puer.
Quíque Atlanteas candenti tramite sedes
Signasti, ad magnum quà datur ire Jouem.
Jlle tuus tamdem liuescit candor, & ori
Quàm dulcis fuerat, tam grauis esse solet.
LACes, VIRGO PARENS, pleno quod ab vbere fundis.
O! quàm dulce; olim quod bibit ore Deus.

XII.

LYDIA nî Tyrio te fœmina merserit ostro,
Flauescis, Libyci nobile dentis EBVR.
Nec tibi tesserulis, sellisue curulibus ingens
Gloria, Diuorum necdum etiam ora refers.

Ac referas licet ora Deûm immortalia, non hac
Immortale valent ferre tibi ora decus.
*V*IRGO, EBVR *es, nullis quod nec flauescit ab annis,*
Nec fouet ingenitum vis aliena decus.

XIII.

C RYSTALLE *Ausoniæ rigidis in cautibus Alpis,*
Candidior Scythicis siue oriare iugis.
Seu calices, seu te commendent pocula, rarum
Seu precio æquâris quondam Adamanta tuo.
Quid mihi candorem ostentas? ferrugo, scabrúmque,
Et vomica & nubes te nigra sæpe terit.
CRYSTALLVS, *V*IRGO, *es, quam nec ferrugo, scabrúmue,*
Aut vomica, aut nubes, commaculare potest.

XIV.

E T *tibi fœminei decus exoptabile sexus,*
*V*NIO *Erythræi dos pretiosa maris;*
Immensum in rebus pretium candore parasti,
Si modò laui ingens pondus in orbe feras.
Marcescis, rugásque trahis, quémque ipsa vigorem
Prima iuuenta dedit, prona senecta rapit.
*V*IRGO *omnes inter pretiosus es V*NIO *matres*
*Vna Deo Nati, V*IRGO, *reperta Parens.*

XV.

P SIMMYTHIVM, *seu quæ Latio C*ERVSSA *vocaris,*
Candorisne etiam gloria tanta tui est?

Æthiopissa tuo num quòd Galatea videri
Ipsa genas fuco dissimulata potest?
Picta sed ora simul tenuis perlabitur imber,
Pristina imago redit, dissimulata perit.
CERVSSA es, VIRGO, nullis obnoxia damnis,
Quæ vitia atra tuo nostra nitore tegis.

XVI.

MOEONIO alba quoque es celebrata arbuscula Vati,
Et nomen superi, MOLY, dedère tibi.
Te cœlo ddlatum terris dedit Arcas; Vlyssei
Víque tua socijs pristina forma data est.
Non tibi quòd radix nigra sit, mihi vilis haberis;
Candenti sed quòd fronde venena tegis.
MOLY es, ô VIRGO, cuius virtute priorem
Formam hominis recipit, qui fera factus erat.

XVII.

Nec floris candor vos illaudata relinquit
Nec qui odor è vestro flore LIGVSTRA fluit.
Par tibi floris honos niueis PALIVRE Ligustris;
Atque in flore tuo par quoque odoris honor:
Sed caditis, vestrúmque leui decus excidit aurâ,
Cúmque suo vester candor odore fugit.
Suaueolens mundo, VIRGO es, candensque Ligustrũ,
Flore nites, succo prodes, odore places.

XVIII.

TV mihi tu pulcros niuei candoris honores
Arabico enascens limite claude, XYLVM,
Claude

Claude & tu molli fulgens lanugine BOMBYX,
Nil vestra heic faciunt candida fila comæ.
Artificum ebibitis varios variâ arte colores,
Aeternus nî sit, nil mihi candor erit.
VIRGO XYLVM *es, gremiùmque Xylo tibi mollius. ô! quàm*
Qui iacet hoc gremio, molliter ipse iacet.

XIX.

CANDIDA, *vester abit candor, tua candida;* VIRGO,
Sola est æternâ Forma futura die.
Forma suo candore Dianæ cornua vincens,
LILIA *Junonis, Cyprigenæque* ROSAS.
ASTRA, NIVES, VIOLAS, CYGNOS, *Cnidiásque* COLVMBAS,
NARCISSVM, ARGENTVM, MARMORA, LAC, & EBVR.
CRYSTALLVM *Arctoam*, CONCHARVM GERMINA, *Iberum*
PSIMMYTHIVM, *æthereum* MOLY, LIGVSTRA, XYLON.

ILLVSTRISSIMO,

D. D. DE MANIBAN,

IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDI.

D*Vm nostræ legis* AVRORAE LACRYMASQVE QVERELASQVE,
O clare Aonij sol, MANIBANE, *chori,*
Hàc orbi tenebras dixti aduentante fugari,
Cæteráque ad radios cedere Signa suos.
Audijt hæc, simul erubuit, magéque illuxère
Virginis accensæ rubra per ora faces.
Ora rubent, ait illa, mihi hæc sunt signa pudoris:
Si rutilant, iubaris hoc MANIBANE *tui est.*

AVRORÆ LACRYMAE IN FVNERE MEMNONIS.

I

NON ego Tantalidos lacrymas, Hecubæue dolores
Lamentor; non Calliopes super Orphea planctus,
Atque cruentatum laceratis artubus Hebrum;
Nec miseranda tuos queror Oceaneïa questus,
Dum sacrum Æacidæ Sigeo in littore saxum
Crinibus abruptis, immortalique Amarantho
Spargis, & Ægæos fluctus, Dea, luctibus auges.
Vos mihi, vos eritis lacrymæ, planctúsque doloresque,
Et decantandum Lydo modulamine carmen
MEMNONIS *effusæ ad Nati lacrymabile bustum*
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

II.

Vidit vt Iliaco resupinum in puluere Natum

ILLVSTRISSIMO,

D. D. DE MANIBAN,

IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDI.

DVm nostræ legis AVRORAE LACRYMASQVE QVERELASQVE,
O clare Aonij sol, MANIBANE, *chori,*
Hâc orbi tenebras dixti aduentante fugari,
Cæteráque ad radios cedere Signa suos.
Audijt hæc, simul erubuit, magéque illuxêre
Virginis accensæ rubra per ora faces.
Ora rubent, ait illa, mihi hæc sunt signa pudoris:
Si rutilant, iubaris hoc MANIBANE *tui est.*

AVRORÆ
LACRYMAE
IN FVNERE
MEMNONIS.

I

NON ego Tantalidos lacrymas, Hecubaue dolores
Lamentor; non Calliopes super Orphea planctus,
Atque cruentatum laceratis artubus Hebrum;
Nec miseranda tuos queror Oceaneïa questus,
Dum sacrum Æacidæ Sigeo in littore saxum
Crinibus abruptis, immortalíque Amarantho
Spargis, & Ægæos fluctus, Dea, luctibus auges.
Vos mihi, vos eritis lacrymæ, planctúsque doloréque,
Et decantandum Lydo modulamine carmen
MEMNONIS effusæ ad Nati lacrymabile bustum
TRISTIA rorantes lacrymæ PALLANTIDOS ora.

II.

Vidit vt Iliaco resupinum in puluere Natum

ILLVSTRISSIMO,

D. D. DE MANIBAN,

IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDI.

*D**Vm nostræ legis* AVRORAE LACRYMASQVE QVERELASQVE,
O clare Aonij sol, MANIBANE, *chori,*
Hâc orbi tenebras dixti aduentante fugari,
Cæteráque ad radios cedere Signa suos.
Audijt hæc, simul erubuit, magéque illuxêre
Virginis accensæ rubra per ora faces.
Ora rubent, ait illa, mihi hæc sunt signa pudoris:
Si rutilant, iubaris hoc MANIBANE *tui est.*

AVRORÆ LACRYMAE IN FVNERE MEMNONIS.

I

NON ego Tantalidos lacrymas, Hecubaue dolores
Lamentor; non Calliopes super Orphea planctus,
Atque cruentatum laceratis artubus Hebrum;
Nec miseranda tuos queror Oceaneïa questus,
Dum sacrum Æacidæ Sigeo in littore saxum
Crinibus abruptis, immortalíque Amarantho
Spargis, & Ægæos fluctus, Dea, luctibus auges.
Vos mihi, vos eritis lacrymæ, planctúsque doloré[s]que,
Et decantandum Lydo modulamine carmen
MEMNONIS *effusæ ad Nati lacrymabile bustum*
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

II.

Vidit vt Iliaco resupinum in puluere Natum

ILLVSTRISSIMO,

D. D. DE MANIBAN,

IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDI.

Dum nostræ legis AVRORAE LACRYMASQVE QVERELASQVE,
O clare Aonij sol, MANIBANE, *chori,*
Hâc orbi tenebras dixti aduentante fugari,
Cæteráque ad radios cedere Signa suos.
Audijt hæc, simul erubuit, magéque illuxère
Virginis accensæ rubra per ora faces.
Ora rubent, ait illa, mihi hæc sunt signa pudoris:
Si rutilant, iubaris hoc MANIBANE *tui est.*

AVRORÆ LACRYMAE IN FVNERE MEMNONIS.

I

N*ON ego Tantalidos lacrymas, Hecubæue dolores*
Lamentor; non Calliopes super Orphea planctus,
Atque cruentatum laceratis artubus Hebrum;
Nec miseranda tuos queror Oceaneïa questus,
Dum sacrum Æacidæ Sigeo in littore saxum
Crinibus abruptis, immortalíque Amarantho
Spargis, & Ægæos fluctus, Dea, luctibus auges.
Vos mihi, vos eritis lacrymæ, planctúsque doloré́sque,
Et decantandum Lydo modulamine carmen
M*EMNONIS effusæ ad Nati lacrymabile bustum*
T*RISTIA rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

II.

Vidit ut Jliaco resupinum in puluere Natum

AVRORÆ
LACRYMAE
IN FVNERE
MEMNONIS.

I

NON ego Tantalidos lacrymas, Hecubæue dolores
Lamentor; non Calliopes ſuper Orphea planctus,
Atque cruentatum laceratis artubus Hebrum;
Nec miſeranda tuos queror Oceaneïa queſtus,
Dum ſacrum Æacidæ Sigeo in littore ſaxum
Crinibus abruptis, immortalíque Amarantho
Spargis, & Ægæos fluctus, Dea, luctibus auges.
Vos mihi, vos eritis lacrymæ, planctúſque doloréſque,
Et decantandum Lydo modulamine carmen
MEMNONIS *effuſæ ad Nati lacrymabile buſtum*
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

II.

Vidit vt Iliaco reſupinum in puluere Natum

Vulneribus fossum innumeris TITHONIA CONIVX,
Pallentem furuo vultum obuelauit amictu.
Ipse etiam Auroræ sortem indignatus acerbam,
Flammiferum Eoos retrò currum egit ad ortus
Cynthius, & vetitis Arctos caput obruit vndis.
Versa quoque æthereas turbauère Astra choreas.
Attoniti tremuère poli, tellúsque remugit,
Dardaniæque Idæo vlularunt vertice Nymphæ,
Et lacrymas Simoënti, aureóque auxère Scamandro
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

III.

Pæne iterum abruptis Mundi vaga machina vinclis
Sede ruit conuulsa suâ: exanimémque frementès
MEMNONA *sidereâ dum spectant Dæmones æthra*
Aërijs vexassent tempestatibus orbem,
Et diros rapidis fixissent ignibus hosteis:
Nî PATER *æterno trepidantem adamante ligasset*
Molem Orbis, vestrásque extinxet, Dæmones, iras.
Hæc Cælo decreta, hoc insuperabile Fatum,
Inter vt Æmonias MEMNON *cadat hostia turmas*
ÆACIDÆ, *largóque fluant cum sanguine Nati*
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

IV.

Heic Mater stetit ingenti perculsa dolore,
Immotaque manens similis, ceu Gorgone visâ,
In scopulum durata riget; ter clausa resoluit
Ora, ter ipsa dolor vocem intra compulit ora.

Corpore ſenſus abeſt: nullus præcordibus imis
Spiritus: ardenteis flammas Roſa Punica vultus
Deſeruit, violæque locum ſubiêre: nec alter
Matris erat Natíque color: non viuere Matrem
Credideris: ſed inane anima lapideſcere corpus:
Nì multo fluerent oculorum è fontibus amne,
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

V.

Vix Matri primum lacrymæ expleuêre dolorem,
In gemitus abit illa nouos; pia pectora plangit,
Turbatóſque amens rigido ſecat vngue capillos;
O! NATE, *inclamans. Nec plura effata: repreſsit*
Cætera verba dolor: manibus liuentia Nati
Mœſta Parens roſeis heu! quondam lumina clau-
dit,
Et ſuper impreſſo caua vulnera præſtruit ore;
Nunc manibus, nunc illa oculis, nunc oſcula labris
Inſigens; quantúſque fluit de corpore ſanguis,
Irriguis tantæ vbertim voluuntur ocellis
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

VI.

Ac veluti abſtruſis terrarum occluſus in antris
Spiritus, offenſo per ſaxa abrupta meatu,
Dum furit, & vetitas erumpere geſtit in auras,
Infremit, immugítque cauis immane cauernis.
Vt tandem patuêre aditus, compage reuulsà,
Diſsiliunt ſcopuli, diſiectáque ſedibus imis

Immenso latè tellus discedit hiatu:
Hinc fragor, hinc rauco resonant caua saxa fragore.
Sic clauso luctata diu suspiria Matris
Pectore laxantur. Violentiùs amne sequuntur
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

VII.

Ac primùm vt fari potuit, sic ore locuta est.
NATE, meæ ô quondam lux vitæ, animæque voluptas
Sola meæ; sed nunc ingens dolor. Heícne iacentem
Heic ego te, immersúmque tuo te sanguine, NATE,
Adspicio, fossúmque iteratâ cuspide corpus?
Heu! vbi forma decens? vbi pulcri flammeus oris
Ille decor, geminúmque oculorum sidus? vbi altæ
Conspicuus ceruicis honos? taleísue triumphos
NATE refers? sunt hæc generosæ præmia dextræ?
Heic vocem gemitus Matri intercepit; & ortæ
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

VIII.

Nec satis; exanimem exanimis pia MEMNONA *Mater*
Tollit in amplexus, & languida colla lacertis
Implicat; exhalatâ exangue animare cadauer
Ipsa animâ, & Nato Genitricem infundere tentat
Toto ore incumbẽs. Miserã hanc, ait, attrahe Matris,
NATE, *animam; quando sine te mihi viuere,* MEMNON
Non licet, & Matrẽ Elysias rape Nate, sub vmbras

Aut Matris pia vota audi, Matremque reuiſe.
Mortuus hic Genetricem attollere lumina contra
Viſus, inexhauſtóſque oculorum ſiſtere fonteis
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora,*

IX.

Ille iterum veluti morientia lumina condit;
Tum Matri ſpes omnis abit, totóque repentè
Sanguis ab ore fugit, collapſáque pondere Nati
Voluitur immoriens, hederáque tenaciùs hæret.
Heic Natus Matérque malum non diſpare ſigno
Teſtantur: Mater lamentis; ſanguine Natus.
Defluit in lachrymas Mater: prorumpit apertis
Vulneribus Nati ſanguis, queruló que iacentis
Matris inexpletos imitatur murmure queſtus,
Purpureo liquidæ commiſcentúrque cruori
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

X.

Sic Natum complexa Parens miſerabilis inſtat:
Et tota effuſis oculorum mergitur vndis.
Qualis vbi igniferâ roſeos cùm lampade crineis
Mergit Atlantæo ſoboles Latonia ponto.
Aut vbi Hyperboreis niueus cùm montibus humor
Liquitur, Heſperij blandùm adſpirante Fauoni
Flamine turgeſcunt fluuij, nec vt antè ſolebat,
Latus inundanteis latè capit alueus amneis.
Illa cruentatis horrenteis crinibus artus
Abſtergit, tepidóque humectant vulnera fonte

TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

XI.

Ac dum Memnoniæ niueum, ægreſcente dolore,
Irriguus Matris vultum perlabitur imber;
Soluitur ille decor formæ, ſensímque liqueſcit.
Lilia iam prono capita inflectentia flore,
Pallentem niueo AVRORAE *candore nitorem*
Auxerunt, ſparſo gelidos per MEMNONIS *artus*
Sanguine, languentes exarſerunt Hyacinthi:
Purpureúmque Roſæ Idaliæ accendère ruborem.
Ante etiam puros quám Sol bibat ore vapores,
Inde bono manant liquidi ſub ſidere rores
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

XII.

Non ſecus ac ſalſis ſuaueis è fluctibus vndas,
Exagitante ſiti, eliciunt per cærula Nautæ:
Sic quæ ſollicitæ ex oculis tum Matris amaræ
Fluxerunt lacrymæ, in dulceis abière liquores.
Ambroſiúſque fluens Nati de corpore Sanguis,
Immedicabilibus nunc eſt Panaceïa morbis.
Hoc iã Troïugenûm mixtæ Argolidûmque cohortes
Cruda Machaonio medicamine vulnera ſanant;
Et Graijs prohibent Troiana incendia flammis;
Iliadúmque leuant lacrymas ſæuóſque dolores
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

XIII.

O vtinam im'a tuo ſanentur noſtra Cruore

Vulnera

Vulnera, Cælicolùm clarum genus, inclyte MEMNON,
Túque tuo qui cuncta foues, Sol auree, vultu:
Et super alta piæ lacrymas TITANIDOS *astra*
Euehis, aspice nos, marcescenteísque calore
Hoc, PATER, *imbre riga flores, neu feruidus Auster,*
Insanúsque Aquilo, rapidíque potentia Cauri
Tam pulcrum violet decus, emissósque supernis
Sedibus exsiccet Canis Erigoneïa rores,
Vósque meos æternúm hortos, mea prata rigate
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

XIV.

Tu mihi lugubri cantata AVRORA, MARIAM
Carmine adumbrasti MATREM, *indignáque peremptũ*
Morte Palæstinis CHRISTVM, TITHONIE, *terris.*
Ille tuo roseus qui fluxit corpore SANGVIS,
Multiplici CRVOR *est* CHRISTI *de vulnere manans,*
Aegris Centaureum animis, fundénsque potentem
Nepenthis succum, atque salutiferam Panaceam.
SOL, DEVS *est. Quósque æthereas super extulit arceis,*
Vt pius arenteis ANIMARVM *effundat in hortos,*
IESSAEAE *sancti lacrymarum* VIRGINIS *imbres,*
TRISTIA *rorantes lacrymæ* PALLANTIDOS *ora.*

RVPES MEGARENSIS.

I.

REGINA Aonidum, Pindo delabere, magni
Progenies Jouis, & vatum venerabile Numen,
CALLIOPE; si fors rerum tibi nota vetustas,
Quæque nouos ventura olim sunt fata sub annos;
Pande mihi seris miranda nepotibus; vnde
Prima suæ quondam fundamina jecerit arcis
ALCATHOE. Jam totus agor, iam saxa videntur
Jmperio conuulsa Dei deuoluier vltrò
Montibus, & celeri properare per ardua cursu,
Quò sese maior processu attollat in auras
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

II.

MÆNADES, vt fama est, furialibus orgia thyrsis
Dum celebrant, tumulíque vident de vertice vatem
Threicium solito modulantem pectine neruos,
Antiqui memores odij insultante trucidant
Agmine, disijciúntque cruentos membra per agros.
Hunc circumposito volucres fleuêre theatro,

Fluminàque, montéſque, feræque, & frondibus arbos
Tonſa ſuis, tumidi Lyra fluctibus innatat Hebri,
Jonióque inuecta ſalo, crudelia latè
Fata ſonat Domini; dum mugit Achæa, remugit
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

III.

Ismarvs ingemuit, motóque cacumine ſiluas
Iactauit Rhodope, ſtupuit Parnaſsia rupes,
Horruit ipſe Pater, totóque expalluit ore
Oblitus decoris Phoebvs, *hinc inde iacenteis*
Oeagrio Nati dum littore conſpicit artus,
Hæccine, ait, mihi pacta fides, fera Thracia, Natum
Sic coluiſſe meum? potuit mulcere ferarum
Pectora, & exanimes animare ad carmina ſiluas,
Non Thracen potuit? lateant ſine nomine montes
Orphæis celebres fidibus; ſit nominis hæres
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

IV.

Dixerat, *inuiſíſque procul ſecedere terris*
Ocyùs accelerat. Quid mentem turbidus arceis
Aethereas repetat, cœli cui ſidera ſordent;
Quémque immortali pertædet origine natum?
Longum iter emenſus Lelegeïa littora tamdem
Jngreditur, præſente Deo ſalit Ægialæa
Teque pedem huc obuertentem Latoë, fidéſque
Pulſantem querulas medijs hærentia ripis
Flumina ſensère, & patula ſuper arbore ſidens

M 2

Sensit auis, sensitque arbos, stupuítque canore
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

V.

ILLE *operam locat Alcathoo, atque vt tẽpus agit rem,*
Gaudet opus ductore Deo, qui talibus vltrò
Mirantem adfatur Regem. Non hæc mihi prima
Mœnia structa manu; vel nunc horrentia versat
Intonsus cæmenta Deus, Troiana videres
Mygdonio hac dextra surgentia Pergama saxo,
Et vicina altis adlambere turribus astra.
Ast ego lethali necquicquam spicula cornu
Vibrarim toties, nec sit genus ab Ioue summo,
Si non Pergameà caput altius efferat arce
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

VI.

QVAMQVAM *animũ dolor altus habet, caræq; recenti*
Funere languescit sobolis, vultu anxia mentis
Vulnera dissimulat; nulla est mora, cerea nudat
Brachia; voce Operas operi mouet, ardua circum
Saxa fremunt, tollúntque ingentẽ ad sidera plausum.
Tum Deus extemplò citharam ceruice reuulsam
Imposuit muro; tremulis, mirabile dictu,
Innatum fidibus muro modulamen adhæsit.
Gratia par citharæ muróque; nec aspera molleis
Antra terunt modulos, Lyricis dum personat hymnis
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

VII.

OBSTVPET *Alcathous, monstróque exterritus hæret,*
Sollicitos versans animos, quæ causa rigenti
Indiderit vocem scopulo; quæ dispare forma
Muta fides resonis sociarit marmora neruis.
Obstupet ipse suum Phœbus cessasse dolorem,
Et gratâ celerem Rupe effluxisse medelam,
Accensósque Operis animos, Arcémque repenti
Surrexisse sono, quantùm non longa dierum
Tēpora construerēt, numeróque immensa virûm vis;
Vtque sua ætheriæ iam culmina conserat aulæ
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

VIII.

ARGOLICAS *monstro iam fama impleuerat vrbes,*
Terrarúmque vident quascúmq; Occasus & Ortus,
Suppositæque iacent stellis Erymanthidos Vrsæ,
Australísque Poli, medióque Hyperionis axi.
Ac te Ductorem Æthiopum Pallantide cretum
Tum primúm erubuisse ferunt; nec iam tua, Memnon,
Blandiùs æra sonant, quamuis te Cynthius auro
Cingat agens, condátque sub ærea pectora carmen,
Torpidáque insertis violentiùs organa linguæ
Sollicitet radiis, numeros dùm molliùs edit
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

IX.

MÆNALIIS *tum fortè iugis Syluanus agresteis*
Inflabat calamos, circunstantémque canorâ
Ad numeros Dryadum fallebat arundine turbam.

Ille ſui caſum lamentatur Cypariſsi,
Aut veteres modulis aptat Syringis amores,
Ingratáſque laceſsit Oreadas, & fera ſexus
Robora fœminei. Quid nos fœdiſsime ruris,
Vna ait, appellas? valeant tua Mænala, túque,
Striduláque ingratos diſperdens fiſtula cantus,
Longè aliò Nymphas ad ſe vocat inclytus arte
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

X.

PROTINVS *Arcadios linquunt facto agmine ſaltus,*
Succenſaque nouo Argiuæ telluris amore
Anteuolant volucreis effuſis curſibus Euros;
Quas ægrè inſequitur paſſu Syluanus, anhelo
Nequicquam clamore morans. Iámque arce ſedebant
Alcathoës, miróſque bibunt auidâ aure ſuſurros.
Pan ibi tum attonitis jactat ſua carmina Nymphis
Arcadicum infrendétque melos; risêre rudentem
Turba Deum. Calamos ille indignatus & artem,
Erubuit, ceſsítque libens, ſimul ora reſoluit
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

X I.

QVO *te, Nympha, vagus mentis furor abripit? eia*
Siſte gradum. Non te ſcopuli caua ſaxa gementis,
Non ſyluæ, placidíque leuabunt littora ponti.
Quam petis, infida eſt Echo, occidítque medendo,
Fingere docta tuas gemebundâ voce querelas.
Non ita pellaces Siculis Acheloides vndis

Argutæ illectos vocis dulcedine nautas
In freta cæca trahunt, & blando funere mergunt.
Heic luge, heic toto suspiria pectore funde,
Triste repercusso mulcebit carmine vulnus
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

XII.

Quem cecini Odrysio laceratum in littore Vatem
Bacchantum expertum iras, expertúmque furores,
Est HOMO, *Tartareæ prædæ irreparabilis alæ.*
Ingemuit, superáque polorum elapsus ab arce
Nato PHOEBVS *adest; supremi æterna Parentis*
Progenies Homini sorte huius motus acerbâ
GHRISTVS *adest, Megaræ cui Phœbus mœnia struxit.*
ALCATHOVS, DEVS *est. diuinâ* ECCLESIA CHRISTI
Structa manu ALCATHOE. LYRA, SPIRITVS. *adsonus illi*
CHRISTIADVM *dîo lymphatus numine cœtus,*
Murus Apollinei referens modulamina plectri.

STELLA.

I.

AETERNI *ſcrutamur opes arcanáque* PATRIS
Conſilia, & purum CONCEPTAE VIRGINIS *Aſtrum*
Carmine ſidereâ Cœli deducimus arce.
Siſte, quid inſolitos trepido imperterrita ſuades
Mens animi tentare ſinus, crebriſque cruentos
Naufragijs ſcopulos tranſmittere? ſiccine vaſtum,
Icario de more, nouâ ſignare profundum
Clade iuuat, tantóque emere inclyta nomina caſu?
Salua ratis, ſpes certa animi, modò dirige curſus,
O Tu grande leuis mihi carminis argumentum,
Vmbroſam radijs penetrãs Stella Aurea Nubem.

II.

ANTE *indigeſtos quàm rerum aperiret aceruos,*
Et vario informem deſcriberet ordine Mundum
MENS AETERNA DEI, *permixtáque ſemina inerti*
Jlla Chao extraheret, puram ſine ſemine MENTEM
Progenuit conſortem operum regnique futuram
Vt vidit, perijt, conceptiſque ignibus arſit,
Demirata ſuos facta ſub imagine vultus.

Hanc

Hanc fouet, hanc ſequitur, viuiſque amplexibus vnam
Ambit, & immenſas dum circumluſtrat abyſſos,
Cœlorúmque orbeis metitur, lampada præfert
Vmbroſam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

III.

S A T *latui cæcis regnans, Deus inſit, in antris.*
Noſcere cuncta DEVM, *ſolus quem nouerat ipſe,*
Nunc placet. Eia, mea veriſsima mentis imago,
Nata, mea vires, mea ſola potentia, Mundum.
Jam ſimul effingamus, ait, diſiunctáque certas
Principia obtineant ſedes. Tu fœdera firma
Diuinâ ſtabilita manu; ſtatue infima Terris;
Ambiat Oceanus Terras; circumuolet Aër;
Flamma polos lambat, quos incandentibus aſtris
Pinge; ſed impreſſos longè ſuper emicet igneis
Vmbroſam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

IV.

H I N C *læuâ exoritur Cæli regione coruſcis*
Sol frontem inſignis radijs, fulgentia multo
Lumina diffundens auro, mundúmque recenti
Luce beans; Soror hinc fraterna lampadis igne
Orbem implens terris argentea cornua promit,
Cornua nocturnas illuſtratura tenebras.
Hanc circum tremulis ſaliunt nitida aſtra fauillis.
Erubuit Fratris Soror auro, luce gemelli
Aſtra ſtupent iubaris; Phœbus, Soror, Aſtráq;, viuam
Clarior vt viſa eſt cœlo diffundere flammam

Vmbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

V.

PHOEBVS *Atlantæis crineis vbi proluit vndis,*
Flammiferos currus alium ducturus in axem,
Tum ferrugineo cuncta obducuntur amictu;
Fraternas obeátque vices licet aurea Phœbe,
Atque superfusas terris procul arceat vmbras,
Desinit esse dies, circumstantúmque corona
Astrorum eripitur tibi, Cynthia, gurgite eòdem
Vt cadis, & purus vanescit in æthere candor.
Sola indefessa, dum cedunt astra, cadúntque,
Noctes atque dies collustrat lampade cœlos
Vmbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

VI.

HEV! *quisnam tantus terris circumstetit horror?*
Quid liquidum densi cinxerunt æthera nimbi?
Luridus æthereo miscetur Auernus Olympo;
Astra choros vertunt solitos, frustráque morantes
Sol hortatur equos, frustrà radiantia puro
Sidera Luna trahit cœlo, tótque ignibus atras
Cimmerio tentat tenebras depellere mundo.
Heic trepidos mortale genus per deuia gressus
Saxa trahit, præcépsque lacus Acherontis ad imos
Truditur; in tantis Stella emicat vna tenebris
Vmbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

VII.

NON *aliàs tanti liquefactis nubibus imbres*

Laxato in mœstas manarunt aëre terras,
Tortáque turbato crepuerunt fulmina cœlo:
Aut rubri toties lugubre arsère Cometæ,
Tunc quoque terrificis quassata fragoribus imo
Visceribus visa est scissis terra orbe reuelli,
Et labefacta nouis trepidare elementa ruinis.
Vna salus hominum dubiam sperare salutem
Carminibus, cœlo queis deducatur ab alto
Almum olim miseris paritura Hyperiona terris
Vmbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

VIII.

ÆTHERIVS *solo tumidas compescuit iras*
Contentus terrore Pater, sortísque misertus
Humanæ pronis veniam dedit hostibus vltrò.
Jam socios homines vocat, æternóque creatis
Fœdere coniungi placet, amplexúque reuelli
Ipse libens terris sinit irreuocabile pignus.
Omnia diuinum tunc præsensère fauorem.
Continuit nimbos aër, cœlúmque fugatis
Nubibus enituit, solidísque in sedibus hæsit
Terra tremens. simul humana se condidit aluo
Vmbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

IX.

TV *mihi deliciæ, summíque æterna Tonantis*
Gloria. & *æterno generatum Sidus ab æuo*
Dicta, MARIA, *sacræ fusa in penetralibus* ANNÆ;
Spes hominum, vitæ quos error & horror agebat,

Venturæque olim quæ tollis signa salutis,
Depressósque solo & longo mœrore iacenteis
Erigis ò quanta nobis præcordia, quantâ
Lætitia exundant; cùm tu optatissima nube
Conderis, annosæque subis sacra viscera matris,
Unde nites, iam iámque tuos vtero exeris ignes
Umbrosam radijs penetrans STELLA AVREA *nubem.*

ERIGONE.

I.

VIRGO *æquæua Chao, genitóque antiquior orbe*
Susceptum mihi carmen erit, quæ prima Deorum
Aduerso in sese coëuntia semina motu
Composuit, certóque inter se fœdere iunxit,
Atque serenato fudit noua sæcula mundo.
Ac ne iterum hæc ruptis ruerent in prælia claustris,
Rebus & hæreret stabilis labentibus ordo,
Frigoris & flammæ medium quæ diuidit axem
Aëris insedit zonæ; iura vnde supernis
Orbibus, atque imis daret æqua oracula terris
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

II.

ILLA *vbi Cælicolas studiis discordibus omneis*
Vidit agi. (ingenij quæ vis est cuique, voluptas
Quò trahit, ire) arcto sibi conciliauit amore.
Ac quamquam armipotens effuso sanguine Mauors,
Carminibus citharáque augur lætetur Apollo;
Fulmina Lemniacis cudat vaga Mulciber antris,

Decurrat medius geminum Cyllenius orbem;
Juno, Venúsque pari versent connubia sorte;
Prælia Pallas amet; grauidas iuuet alma puellas
Cynthia; Cœlicolis placuit tamen omnibus vna
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

III.

IPSE *quoque æternos hominum sator atque Deorum*
Jupiter imperium confirmaturus in annos
Consortem elegit Diuam, mentísque ministram
Esse suæ, sanctásque etiamnùm figere leges
Jnque Deos hominésque supremo numine sanxit,
Ancipitem socia recturus Virgine mundum.
Sic arctata Deæ stetere omnia legibus, amplo
Sidereus quæcumque sinu complectitur orbis;
Aut vasta diffusa iacent super æquora terræ,
Cum Joue Diua simul rerum suscepit habenas
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

IV.

TVM *primùm firmata metu reuerentia Diuûm,*
Maiestásque Jouis, Stygiæque sacrata paludis
Relligio superos inter; sontémque vagari
Centum annos terris voluit, sanctísque moueri
Cœlituum mensis. Hæc Phœbum excedere cœlo
Thessalicísque errare plagis & pascere tauros
Iussit, vbi Ætnæos interfecisse Cyclopas
Fama fuit; Dominúmque maris post vincula fratris
Laomedontææ damnatum in mœnia Troiæ

Expulit, in fratrem admissum scelus vlta Tonantem
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

V.

IVRA *polo dederat, sua cùm mortalibus ægris*
Sancta quoque æratis scripsit mandata tabellis.
Tum vulgari hominum secernit sanguine Reges,
Queis recti inspirat studium, queis pectora format
Longè alia humanis, vno tantúmque minores
Qui Ioue regnarent terris, qui crimina pœnis
Diluerent, placidósque inter patrimonia ciueis
Protegerent. Extincta odij tunc semina; lites
Composita; firmata sacris connubia vinclis:
Diuûm creuit honos; hominum aurea pectore sedit
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

VI.

PRÆMIA *pro meritis statuit, delicta repressit*
Supplicijs: Illos Iuris reuerentia vinxit,
Hos metus: hinc nullas dextris tangentibus aras
Inuiolata fides hominum stetit: Aurea fœdo
Sic detersa Orbi fluxerunt secula ritu.
Si qua tamen diræ arderent incendia fraudis,
Degeneré sque daret patribus terra impia natos,
Heroas terris Iouis alto sanguine cretos
Protulit, infensos monstris nascentibus hosteis,
Quos superas tandem emeritos super extulit arceis
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

VII.

INFERA cùm multo premerentur regna tumultu,
Innumeróque Erebum complerent agmine manes,
Seposuit sontes iustis, ternósque silentum
Iudicijs dedit illa viros. Hoc Gnosius, illo
Iura foro Rhadamanthus habet, summóque verendus
Æacus æternis damnat capita impia pœnis.
Tergeminas adhibet Furias, triplicémque Molossum;
Verbera, carnificésque, picémque, facésque, rotásque.
Elysios puras animas secernit in agros.
Sic triplici statuit iura inuiolabilis orbe
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

VIII.

MAGNE Tolosani Præses MANIBANE Senatus,
Iustitiæ Antistes maior, Phœbíque sacerdos
Maxime, quid nota Erigones tibi sacra recludam,
Purpureo longè qui conspiciendus amictu
Liliáque aurea premens Astreæ oracula pandis?
Nam mihi quæ verso celebrata est carmine Virgo,
IVSTITIA est, magno in magnum delecta Tonanti,
Consors imperium. Cælo dans iura, solóque,
Infernæque Stygis moderatrix, æqua rependens
Præmia virtuti, scelerúmque seuerior vltrix
Virgo Humana pari Diuináque pondere librans.

LVNVLA.

I.

TE, quamquam fragili tumefacta per æquora ponti
Lintre vehor, verróque tuum, Neptune, profundum
Sollicitus, deuota tamen mens flectere, numénque
Implorare tuum renuit, totóque nigrantem
Vellere moturis vada tempestatibus agnam,
Aut Zephyris etiam blandùm spirantibus albam
Cædere; Nec quamquam obscuro nitidissima cælo
Optatam, Cynosura, facem per nubila promas
Tepeto. Palladij Præses. MANIBANE, Senatus,
Tu mihi, tu Neptunus eris, Tua, certior Arctos,
Lunula cum Lacrymis gemino superaddita Conto.

II.

ERGO intentatas pelagi immittenda per vndas
Est ratis, & dubio cogor me credere ponto?
Quò me, quò, Fortuna, trahis? quò, Fata, vocatis?
Fortuna inconstans, infidáque Fata! quietum
Inuitúmque solo per tot discrimina rerum

Q

Quid rapitis? placidam terris traducere vitam
Heu! sinite, obtestor; tacitos incognitus annos
Vmbrosis agitem specubus. Nã sponte tremenda
Stultitia est certo tentare pericula casu.
Exorere ô, lucémque caua inter nubila pande
Lunula cum Lacrymis gemino superaddita Conto.

III.

*H*EI! *mihi, iam portu auellor; iam fune soluto*
Diuiditur tellure ratis; iam fertur in altum
Tenuiáque immissis turgescunt carbasa Cauris.
Tunc quoque eheu! quantis maduerunt fletibus ora?
Quanta etiam excusso suspiria pectore duxi,
Vt fusos lacrymis oculos ad nota retorsi
Littora? Cur primo potiùs mihi limite vitæ
Haustam efflare animã, ingratas quã luminis auras
Ducere non licuit? misera præsagia quondam
Hæc sortis: tamen vna malis solatia spondet
Lunula cum Lacrymis gemino superaddita Conto.

IV.

VIXDVM *etiam trepidã ventis trudentibus alnum,*
Prouehor, horrendis circum fremere æquora monstris
Adspicio, maris absorptas quæ immanibus vndas
Gurgitibus reuomunt, atque ipsa minantibus altè
Inque polum intortis conspergunt fluctibus astra.
Hinc Scyllæ, hinc Syrtes, implacatæque Charybdes,
Euripi, pronisque in se Symplegades actæ
Frontibus occurrunt oculis. Iam-iam ecce supremum

Exanimi exitium ſcopulíque vndaque minantur:
Sed dominantem animo leuat aureâ luce timorem
Lunula cum Lacrymis gemino ſuperaddita Conto.

V.

ATQVE *ego dum tenui fretaconcita ſulco carinâ,*
Sæpiùs æratam optaui conſcendere puppim,
Quam neque vis hiemis tempeſtatúmque procellæ
Vincere, non tortis irati abſorbere fluctus
Vorticibus, ſubter non ſaxa latentia poſſint
Frangere; non duræ, ſi quando furentibus Auſter,
Aut Phœbi rutilo prorumpens Eurus ab ortu
Turbinibus ſeſe inter certant, ſoluere cautes.
Aſt eadem ingentes pariter tenuéſque carinas
Naufragia abſorbent, auidis quas deſerit vndis
Lunula cum Lacrymis gemino ſuperaddita Conto.

VI.

ECQVIS *amor pelagi? Quid amor? quis vos furor imò*
Mortales, agitat? non vos malefida profundi
Regna Iouis terrent? diri quot littore in ipſo
Terruit ira maris? qui vidit, protinùs alto
Maternum hic repetens gremium, ſe condidit antro.
Jlle ſuæ incautus vixdum retinacula Cymbæ
Soluerat, & faciles ventis laxarat habenas,
Naufragio vt portum ſignat, portúque ſub ipſo
Dum perit, hic portum reperit, non anxius vltrà
Exorare tuum Nerei per marmora ſidus,
Lunula cum Lacrymis gemino ſuperaddita Conto.

VII.

T V *neque Achamenidûm luxus, mensásque Canopi,*
Pactolique aureos fluctus, non quidquid Orontis,
Quidquid Hydaspeis gemmarum adnascitur vndis,
Non Arimaspeis cæsos adamantas in antris,
Chrysolithósq; onychásque, pyropósq; smaragdósque,
Quidquid & occasu solis venaris & ortu
Soluere corda metu spera, dirósque fugare
Terrores animo: Sunt hæc ludibria vitæ,
Donáque fortunæ, quæ dummodò blandior offert,
Mox aufert. Certa indigetat tibi commoda Cœlo
Lunula cum Lacrymis gemino superaddita Conto.

IIX.

A TQVE *etiam tutam ipsa ferant licet æquora nauim,*
Blandi etiam adspirent Zephyri, Nereïa circum
Ludat turba latus, vitreis Phorcynides antris
Exsiliant, Glaucíque chorus comitentur euntem,
Tyrrhenæque adsint volucres, quæ mollia fundant
Scyllæos inter fremitus, auidámque Charybdim
Carmina, & incautas fallant concentibus aures;
Non te Nereïdum remorentur, Nauta, choreæ,
Non blandi cantus, lethum parit illa voluptas.
Quære voluptates, super à quas indicat arce
Lunula cum Lacrymis gemino superaddita Conto.

IX.

Q V I *tua Clare oculis,* MANIBANE, *Insignia lustrat,*
Stet tellure licet fixus, per cærula discet

Neptuni ſe regna vehi, Mundúmque cruentis
Infame eſſe fretum ſcopulis; non gaudia certa
Incertâ ſperanda Homini ſtatione, ſed ipſis
Condita, quò melior rerum SPES *euocat, aſtris.*
Damnatos terris homines, peregrináque vitæ
Tempora compleri lacrymis, interdata ſignant
Hoc lacrymis Bacula; & geminis quæ Cornibus altè
Emicat, exacti cœlo ſita præmia curſus
Lunula cum Lacrymis gemino ſuperaddita Conto.

ILLVSTRISSIMI PRÆSIDIS

DOM. D. DE MANIBAN

TOLOSA

Abitu nuper mœsta, nunc reditu læta hoc Chronologico sibi gratulatur.

AVgusta Antistes Themidis, Phœbique Sacerdos,
Altera Palladij lux, MANIBANE, fori.

oCtober qVater AVroræ eXpeCtaVerat ortVs,
Ignea qVæ nIgro presserat ora pepLo.
TVnC sIbI te peregrè abdVCI IndIgnata ToLosa est;
TéqVe sVas ægrè LInqVere passa doMos.

Scissa sinus, laniata comas, animum ægra, doloris
Hæc, Te abeunte, dabat tristia signa sui.

IVLIVs EoIs deCIes HyperIona ab VndIs
VoLVenteM IgnIferas VIderat orbe rotas:
Vt Te oCCItanIs ProVInCIa reddIdIt orIs,
Et Te aVIdo presIt tota ToLosa sInV.

Laxa sinus, redimita comas, animum excita, amoris
Læta hæc signa dedit, Te redeunte, sui.

OMISSA.

Pag. 58. Post decimum distichum substituendi hi versus.

Exoritur densis coruorum exercitus alis,
Et toto increpitans littore dira canit.
Horrendo inde latrans singultu deuolat vnus,
Et rostro obtentam soluit ab ore togam.
Turbauit mentem ostentum; Iámque vltima, dixit,
Fata instant; Peream, quando perire placet.
Roma vale, Patria alma vale, vale ô mea quondam
Cura vna, heu! summus nũc quoque Roma, dolor,
Non dolet, admissi pereo quòd criminis insons;
Quòd seruis, tantùm heu! hoc mihi, Roma, dolet.
Quòd seruis, Domina immẽsi quondã inclyta mundi,
Cui fœdum hoc Ciues imposuère iugum.
Hoc dolet, & tanto mens conturbata dolore
Deficit, hócque ictu fulminis icta iacet.

Pag. 70. Post octauum Epigramma, nonum hoc subiungendum.

IX.

Hinc te nostrorum ARGENTVM, *causa vna malorum,*
Hinc age, ô humani pernicies generis.
Siue tuo exornet sua Cornua Luna metallo:
Siue tuo in cœlis Astra nitore micent:
Siue nites abacis, siue aspera pocula signas.
Queis tu peste m infers, spurcitiem inde refers.
ARGENTVM *es,* VIRGO, *quam nulla ærugo, nec vllo*
Fœda hominum tactu polluit illuuies.

ERRATA.	CORRECTA.	PAGINA.
DEXTEREA.	DEXTRAE	13.
Nic	Hic	24.
Noſtri	Noſtris	25.
Que	Quæ	37.
Infantulis	Infantulus	37.
foret	feret	53.
dimiferat	dimiſerat	63.
Arborihus	Arboribus	65.
pulerum	pulcrum	67.
iaeentem	iacentem	78.
taleíſue	taleiſne	78.
Laomedõtaę	Laomedontææ	94.

DIVINÆ

ET HVMANAE NATVRAE

EPITHALAMIVM.

ALME* *Spiritus, ô Patris,*
Filijque potens amor;
Tu qui gentem hominum Patri,
Filio simul, & Tibi
Sancto amore reuincis.

DEXTER *huc ades, igneâ*
Qui concreta hominum gelu
Incendis face pectora,
Horrendásque animis fugas
Purâ luce tenebras.

HVC *Te poscimus, ô sacris*
Cuius auspicijs solum
Cœlo iungitur, & nouo
Fœdere Euigone Deo
Nympha compare gaudet.

COELICO *mea prolue*
Labra nectare, quò sacra

O

ERRATA.	CORRECTA.	PAGINA.
DEXTEREA.	DEXTRAE	13.
Nic	Hic	24.
Noſtri	Noſtris	25.
Que	Quæ	37.
Infantulis	Infantulus	37.
foret	feret	53.
dimiferat	dimiſerat	63.
Arborihus	Arboribus	65.
pulerum	pulcrum	67.
iacentem	iacentem	78.
taleíſue	taleiſne	78.
Laomedõtaç	Laomedontææ	94.

DIVINÆ

ET HVMANAE

NATVRAE

EPITHALAMIVM.

ALME* *Spiritus, ô Patris,*
Filijque potens amor;
Tu qui gentem hominum Patri,
Filio simul, & Tibi
Sancto amore reuincis.

DEXTER *huc ades, igneâ*
Qui concreta hominum gelu
Incendis face pectora,
Horrendásque animis fugas
Purâ luce tenebras.

HVC *Te poscimus, ô sacris*
Cuius auspicijs solum
Cœlo iungitur, & nouo
Fœdere Euigone Deo
Nympha compare gaudet.

COELICO *mea prolue*
Labra nectare, quò sacra

O

ERRATA.	CORRECTA.	PAGINA.
Dexterea.	Dextrae	13.
Nic	Hic	24.
Noſtri	Noſtris	25.
Que	Quæ	37.
Infantulis	Infantulus	37.
foret	feret	53.
dimiferat	dimiſerat	63.
Arborihus	Arboribus	65.
pulerum	pulcrum	67.
iaeentem	iacentem	78.
taleíſue	taleiſne	78.
Laomedõtaę	Laomedontææ	94.

DIVINÆ

ET HVMANAE

NATVRAE

EPITHALAMIVM.

ALME* *Spiritus, ô Patris,*
Filijque potens amor;
Tu qui gentem hominum Patri,
Filio ſimul, & Tibi
Sancto amore reuincis.

DEXTER *huc ades, igneâ*
Qui concreta hominum gelu
Incendis face pectora,
Horrendáſque animis fugas
Purâ luce tenebras.

HVC *Te poſcimus, ô ſacris*
Cuius auſpicijs ſolum
Cœlo iungitur, & nouo
Fœdere Euigone Deo
Nympha compare gaudet.

COELICO *mea prolue*
Labra nectare, quò ſacra

ERRATA.	CORRECTA.	PAGINA.
DEXTEREA.	DEXTRAE	13.
Nic	Hic	24.
Noſtri	Noſtris	25.
Que	Quæ	37.
Infantulis	Infantulus	37.
foret	feret	53.
dimiferat	dimiſerat	63.
Arborihus	Arboribus	65.
pulerum	pulcrum	67.
iaeentem	iacentem	78.
taleíſue	taleiſne	78.
Laomedōtaę	Laomedontææ	94.

DIVINÆ

ET HVMANAE NATVRAE

EPITHALAMIVM.

ALME *Spiritus, ô Patris,*
Filijque potens amor;
Tu qui gentem hominum Patri,
Filio simul, & Tibi
Sancto amore reuincis.

DEXTER *huc ades, igneâ*
Qui concreta hominum gelu
Incendis face pectora,
Horrendásque animis fugas
Purâ luce tenebras.

HVC *Te poscimus, ô sacris*
Cuius auspicijs solum
Cœlo iungitur, & nouo
Fœdere Euigone Deo
Nympha compare gaudet.

COELICO *mea prolue*
Labra nectare, quò sacra

O

DIVINÆ
ET HVMANAE
NATVRAE

EPITHALAMIVM.

ALME* *Spiritus, ô Patris,*
Filijque potens amor;
Tu qui gentem hominum Patri,
Filio ſimul, & Tibi
Sancto amore reuincis.

DEXTER *huc ades, igneâ*
Qui concreta hominum gelu
Incendis face pectora,
Horrendáſque animis fugas
Purâ luce tenebras.

HVC *Te poſcimus, ô ſacris*
Cuius auſpicijs ſolum
Cœlo iungitur, & nouo
Fœdere Euigone Deo
Nympha compare gaudet.

COELICO *mea prolue*
Labra nectare, quò ſacra

Coniugalia puriùs
Lingua concinat, ô Hymen
O HYMEN HYMENÆE.

AETERNO *genitus Patre,*
Seculis prior omnibus,
Matris antè parens ſuæ,
Virginis fluit in ſinus,
Sponſæque induit artus.

INDVIT *ſe hominem* DEVS;
Et ſimul DEVM *Homo induit;*
Permiſtúſque homini DEVS,
Et permiſtus homo DEO,
Fiunt iam ſimul vnum.

HINC *Cælum ſtupet, hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt,
Vt Cælo ſonat & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.

O! QVAM *diſpare vinculo*
Sponſæ iungeris, & Tibi
Sponſa iungitur, ô DEVS:
Tantò diſpare vinculo,
Quantò diſpar honore.

SED *quæ par tibi, quæ tibi*
Iungi connubio ambiat?
Ni iungas tibi diſparem;
Cui par nec genere eſt, neque

Par eſt vlla decore?
DVCIT *Euigonem* DEVS.
Nubit Euigone DEO.
Neu ſponſum Euigone horreat
Et ſponſo Euigone hæreat
Sponſus Euigone hæret.
HINC *Cælum ſtupet; hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt,
Vt Cælo ſonat & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.
O! *vt ſponſus amoribus*
Sponſæ pectore in intimo
Ardet, colláque brachijs
Fuſus in gremium vt premit,
Totúſque imminet ori.
NON *ita aëriæ tenax*
Hæret arctè hedera æſculo:
Non ita arctat amabili
Vitis palmite populum, vt
Sponſæ ſponſus adhæret.
NON *ita Idaliæ ſacro*
Igne cùm dominæ incalent
Blanda Gorgoneum ad lacum
Inter prælia conſerunt
Roſtris roſtra Columbæ.
NON *tot ambroſio Deæ*

Ludentes ſimul in ſinu
Rauca gutture murmura
Frangunt, & querulâ inuicem
Miſtæ voce queruntur.
N O N *ita æquoreæ arduis*
Incumbunt ſcopulis; neque
Cœlicos patulæ ſimul
Rores ebiberunt, ita
Nectunt oſcula conchæ.
V T *ſuæ Euigone* D E V S,
Vt ſuo Euigone D E O,
Miſcet oſcula, & arctiùs
Quàm concha in ſcopulum, incubat
Sponſæ ſponſus in ora.
H E I C *ſuì* D E V S *immemor*
Ignibus Dominæ vritur:
Non ſibi vltrà beatior,
Dilectæ Euigones nouo
Ni langueſcat amore.
H I N C *Cœlum ſtupet, hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt
Vt cœlo ſonat & ſolo,
O H Y M E N H Y M E N AE E.
A V D I N', *hic vt amans gemit,*
Et ſponſam illacrymans rogat,
Oris ambroſio ſui

Osculetur vt osculo, &
Imos temperet igneis?
A T *dum basia sæpius*
Vdis sponsæ iterat labris,
Ardoremque leuare vult,
Ardet tum magis, vt magis
Iungit oscula sponsæ.
I L L E *Carpathij æquoris*
Puluerem enumeret priùs,
Quotque concita turbidis
Austro fluctibus æstuant
Gallici freta ponti.
A V T *nox dum tacet, ignium*
Cœlico orbe micantium
Subtrahat radios priùs,
Qui sponsi enumerare vult,
Indita oscula sponsæ.
H I N C *cœlum stupet; hinc solum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi stygijs fremunt,
Vt cœlo sonat & solo
O HYMEN HYMENAEE.
H AE C *dum siderea vagi*
Spectant arce Cupidines,
Cœlorum per inania
Colludunt spatia, in leueis
Turba effusa choreas.

Ludentes ſimul in ſinu
Rauca gutture murmura
Frangunt, & querulâ inuicem
Miſtæ voce queruntur.
NON *ita æquoreæ arduis*
Incumbunt ſcopulis; neque
Cœlicos patulæ ſimul
Rores ebiberunt, ita
Nectunt oſcula conchæ.
VT *ſuæ Euigone* DEVS,
Vt ſuo Euigone DEO,
Miſcet oſcula, & arctiùs
Quàm concha in ſcopulum, incubat
Sponſæ ſponſus in ora.
HEIC *ſuì* DEVS *immemor*
Ignibus Dominæ vritur:
Non ſibi vltrà beatior,
Dilectæ Euigones nouo
Ni langueſcat amore.
HINC *Cœlum ſtupet, hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt
Vt cœlo ſonat & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.
AVDIN'*, hic vt amans gemit,*
Et ſponſam illacrymans rogat,
Oris ambroſio ſui

Osculetur vt osculo, &
Imos temperet igneis?
A T *dum basia sæpius*
Vdis sponsæ iterat labris,
Ardoremque leuare vult,
Ardet tum magis, vt magis
Iungit oscula sponsæ.
I L L E *Carpathij æquoris*
Puluerem enumeret priùs,
Quotque concita turbidis
Austro fluctibus æstuant
Gallici freta ponti.
A V T *nox dum tacet, ignium*
Cœlico orbe micantium
Subtrahat radios priùs,
Qui sponsi enumerare vult,
Indita oscula sponsæ.
H I N C *cœlum stupet; hinc solum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi stygijs fremunt,
Vt cœlo sonat & solo
O HYMEN HYMENAEE.
H AE C *dum siderea vagi*
Spectant arce Cupidines,
Cœlorum per inania
Colludunt spatia, in leueis
Turba effusa choreas.

Ludentes ſimul in ſinu
Rauca gutture murmura
Frangunt, & querulà inuicem
Miſtæ voce queruntur.
NON *ita æquoreæ arduis*
Incumbunt ſcopulis; neque
Cælicos patulæ ſimul
Rores ebiberunt, ita
Nectunt oſcula conchæ.
VT *ſuæ Euigone* DEVS,
Vt ſuo Euigone DEO,
Miſcet oſcula, & arctiùs
Quàm concha in ſcopulum, incubat
Sponſæ ſponſus in ora.
HEIC *ſuî* DEVS *immemor*
Ignibus Dominæ vritur:
Non ſibi vltrà beatior,
Dilectæ Euigones nouo
Ni langueſcat amore.
HINC *Cælum ſtupet, hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt
Vt cælo ſonat & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.
AVDIN', *hic vt amans gemit,*
Et ſponſam illacrymans rogat,
Oris ambroſio ſui

Osculetur vt osculo, &
Imos temperet igneis?
AT *dum basia sæpius*
Vdis sponsæ iterat labris,
Ardoremque leuare vult,
Ardet tum magis, vt magis
Iungit oscula sponsæ.
ILLE *Carpathÿ æquoris*
Puluerem enumeret priùs,
Quotque concita turbidis
Austro fluctibus æstuant
Gallici freta ponti.
AVT *nox dum tacet, ignium*
Cœlico orbe micantium
Subtrahat radios priùs,
Qui sponsi enumerare vult,
Indita oscula sponsæ.
HINC *cœlum stupet; hinc solum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi stygÿs fremunt,
Vt cœlo sonat & solo
O HYMEN HYMENAEE.
HAEC *dum sidereâ vagi*
Spectant arce Cupidines,
Cœlorum per inania
Colludunt spatia, in leueis
Turba effusa choreas.

Ludentes ſimul in ſinu
Rauca gutture murmura
Frangunt, & querulâ inuicem
Miſtæ voce queruntur.
NON *ita æquoreæ arduis*
Incumbunt ſcopulis; neque
Cœlicos patulæ ſimul
Rores ebiberunt, ita
Nectunt oſcula conchæ.
VT *ſuæ Euigone* DEVS,
Vt ſuo Euigone DEO,
Miſcet oſcula, & arctiùs
Quàm concha in ſcopulum, incubat
Sponſæ ſponſus in ora.
HEIC *ſuì* DEVS *immemor*
Ignibus Dominæ vritur:
Non ſibi vltrà beatior,
Dilectæ Euigones nouo
Ni langueſcat amore.
HINC *Cœlum ſtupet, hinc ſolum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi ſtygijs fremunt
Vt cœlo ſonat & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.
AVDIN', *hic vt amans gemit,*
Et ſponſam illacrymans rogat,
Oris ambroſio ſui

Osculetur ut osculo, &
Imos temperet igneis?
AT *dum basia sæpius*
Udis sponsæ iterat labris,
Ardoremque leuare vult,
Ardet tum magis, ut magis
Iungit oscula sponsæ.
ILLE *Carpathij æquoris*
Puluerem enumeret priùs,
Quotque concita turbidis
Austro fluctibus æstuant
Gallici freta ponti.
AVT *nox dum tacet, ignium*
Cœlico orbe micantium
Subtrahat radios priùs,
Qui sponsi enumerare vult,
Indita oscula sponsæ.
HINC *cœlum stupet; hinc solum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi stygijs fremunt,
Ut cœlo sonat & solo
O HYMEN HYMENAEE.
HAEC *dum sidereâ vagi*
Spectant arce Cupidines,
Cœlorum per inania
Colludunt spatia, in leueis
Turba effusa choreas.

Osculetur vt osculo, &
Imos temperet igneis?
AT *dum basia sæpius*
Vdis sponsæ iterat labris,
Ardoremque leuare vult,
Ardet tum magis, vt magis
Iungit oscula sponsæ.
ILLE *Carpathij æquoris*
Puluerem enumeret priùs,
Quotque concita turbidis
Austro fluctibus æstuant
Gallici freta ponti.
AVT *nox dum tacet, ignium*
Cœlico orbe micantium
Subtrahat radios priùs,
Qui sponsi enumerare vult,
Indita oscula sponsæ.
HINC *cœlum stupet; hinc solum*
Gaudet; hinc penetralibus
Inferi stygijs fremunt,
Vt cœlo sonat & solo
O HYMEN HYMENAEE.
HAEC *dum siderea vagi*
Spectant arce Cupidines,
Cœlorum per inania
Colludunt spatia, in leueis
Turba effusa choreas.

COELO *tympana concrepant.*
Blanda cymbala tinniunt,
Argutæ resonant lyræ,
Aptiórque iugalibus
Mugit tibia tædis.
HIC *puras Amathuntijs*
Innectit Violas Rosis:
Ille lilia demetit:
Hic decerpit Amaracum
Plectit ille corollas.
SPONSA *lilia non tulit;*
Spinis horruit hispidas
Sponsus temporibus rosas;
Nec tamen dolor improbum
Corde tollit amorem.
QVID *miser furis in malam*
Deditus malè adulteram?
Non te turpia prosequi
Nymphæ probra vagæ pudet
Infamémque perire?
NESCIS *quot iacuit malos*
Olim prona in adulteros
Nullam docta fidem improba
Seruare, attamen improbæ
Inflammaris amore?
NEC *tu perdite desinis*
Vri perditæ amoribus?

Et toto ingeminarier,
Vis cœlo ſimul & ſolo,
O HYMEN HYMENAEE.
O! AMOR *nouus. ô! nouum,*
O! par diſpar amantium.
Quid commune Lupæ & DEO
Sic vagæ DEVS *vt Lupæ*
Inflammèris amore?
SIC *æterna Dei patris*
Deſipis ſapientia?
Sic ſponſæ temerario
Sortem mortis emis, Deus
Immortalis, amore?
HEV! *vanam Euigones fidem*
Quantùm flebis & horrida
Nigris æquora fluctibus
Emiraberis inſolens,
Perfidæ inſcius auræ.
O! QVAM *longè alius tuis*
Tibicen canet auribus.
Nec molles tibi perſtrepent
Virginum moduli in chorum
O HYMEN HYMENAEE.
O! QVAM *dira procacibus*
In te turba furent iocis.
Quæ conuicia congerent?
Aut quæ dira tuum in caput

Fescennina sonabunt?
N O N *odora tuis erit*
Myrtus temporibus decus.
Non tegent thalamum rosæ,
Non nardum heic fluet, aut mero
Pauimenta natabunt.
N O N *consanguinei toris*
Flammeas quatient faces;
Ipse sed medio latens
Sol die iubar aureum
Intra nubila condet.
N V B I L A *eripient polum;*
Astra versa retrò fidem
Mutabunt; solidis tremet
Diro horrore remugiens
Terra fundamentis..
Q V I *sternent famuli torum?*
Qui spargent pueri nuces?
Quis liquor labra colluet?
Hei! mi, qualis in arduo
Extendère cubili?
E N, *quæ grata oculis dies*
Ridet, pectora dum calent,
Candido thalamum notat,
Hæc olim tumulum nigro est.
Fœdatura lapillo.
E T *iungi Euigone placet?*

Nec vanam

Nec vanam Euigones fidem
Exhorrescis? & in diem
Clamari expetis, ô HYMEN
O HYMEN HYMENAEE.
AT *quid te sapientia,*
Æterni patris increpo?
Qui cùm vinceris, à Deo
Vincente omnia Vinceris
Tædâ incensus Amoris.
NON *te virgineus pudor*
Vicit Euigones, neque
Frontis inclyta gloria;
Non pulcro ore natans decor
Ardénsque ignis ocellis.
NON *hoc Euigones decus.*
Vinceris Deus à Deo:
Nec si tu Euigonen ames
Erubesce, Amor in Deos
Ius habet hominésque.
FELIX *Euigone*, DEVM
Cui iungi bona fata dant
Qui simul tibi iungitur
Iungeris simul & DEO;
O HYMEN HYMENAEE.
DICITE *ô homines Io*
Nubit Euigone Deo,
Mixtúsque Euigone Deus,

Mixtaque Euigone Deo
Fiunt iam ſimul vnum.
DICITE *ô homines Io*
Dum Deus ſit homo, ſimul
Dij fiunt homines, Io,
Io HYMEN HYMENÆE Io,
Io HYMEN HYMENAEE.

I. H. A. B. S. I.

V. C.

IACOBI FABRI SAN-IORIANI SENATORIS TOLOSANI.

M.

OBRVERIS *vasto terrarum absorptus hiatu,*
Grande decus Tyria SAN-IORIANE *toga.*
Oedipodionias sic quondam tractus ad arceis
Fatali obrutus est Amphiaraus humo.
Nec tibi terra ideo grauis insultauit ut hosti,
Nec Superûm hæc in te sæuior ira fuit.
Indiges at merito dum iam exspectaris Olympo,
Liber & arcto animus carcere abire parat;
Terra sinus abeunti aperit tibi; fusus at huius
Inter & amplexus, osculáque inter obis.